



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Cap. V. de Vitiis & peccatis Religioni oppositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

jectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cuius homo tenetur ea non velle, neque in se, neque in causa: quippe exterius sonant perjurium, & eum sensum ingerunt audientibus. Hæc autem iuramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria, ac libera in causa, nempe in consuetudine, & in negligentia eam extirpandi. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter, & indiscriminatim sive verum, sive falsum, vel jurandi inadvertenter circa rei juratæ veritatem: quia exponit proximo periculo jurandi falsum. *Ita Suarez, Azor, Sanchez & alii.*

CAPUT V.

De vitis, & peccatis Religioni oppositis.

Not. Peccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & cæteris paribus graviora iis, quæ fiunt contra alias virtutes morales, cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ. Hæc duplicis generis sunt: alia, quæ opponuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur, non quod Deus nimium vero cultu coli possit, cum sit infinito honore, & amore dignus; sed quod adhibea-
tur

tur cultus inordinatus, ac vitiosus. Alia per defectum, quæ Irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Superstitione, & ejus Speciebus.

Q. 1. *Quid est Superstitio?*

Resp. Est cultus inordinatus, ac vitiosus veri, vel falsi Numinis. Unde duplex est generatim, una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi Numinis: & alia ex parte modi colendi, quæ verus Deus, sed modo inordinato colitur, & dicitur vitiosus cultus veri Dei.

Q. 2. *Quotuplex est species Superstitionis?*

Resp. I. Duplex est ex parte modi colendi verum Deum, scilicet cultus falsus, & superfluus. Cultus falsus est, cum falsa miracula prædicantur, vel scriptis mandantur, & sic verorum fides enervatur: vel falsæ Reliquiæ obtruduntur: vel cum auctoritate propriâ proponitur aliquid tanquam institutum à Deo vel ab Ecclesia, quod reipsa non est: vel adhibentur Cæremoniæ veteris Legis, quæ sunt à Deo repudiatæ: vel

Q 9 5

cum

cum Laicus Deum colit tanquam publicus Minister Ecclesiae. Haec superstitionis species est semper ex se mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert, graviterque repugnat ejus honori, ac cultui, qui sola veritate nititur. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Jo. 4.

Cultus superfluum est modus veri Dei colendi praeter Dei & Ecclesiae institutionem, aut communem fidelium usum, & inutilis ad honorem Dei, & ad excitandam spiritus devotionem, vel domandam concupiscentiam; ut orare adhibito certo numero, situ, colore cereorum; non nere die Sabbati in honorem B. V. interim aliis servilibus insistendo, &c. Nam superfluum est medium, quod fini non congruit: finis autem divini Cultus est honor Dei per subjectionem mentis, & corporis. *S. Thom. q. 93. a. 2.* & cum exterior Dei cultus ad interiorum ordinem non conducit, superfluum est, qualiscumque illum adhibentis sit intentio. Haec superstitio, juxta communem, est solum venialis; modo actio alias nulla lege sit prohibita, & absit scandalum, & contemptus Caeremoniarum Ecclesiae, ac communis fidelium usus: quia & materia levis est, & irreverentia non censetur gravis ob simplicitatem. Secus, si fiat post prohibitionem Superioris. Si tamen in Missa, vel in

in administratione Sacramentorum, relictis Rubricis, aliæ Cæremoniæ etiam pro sua devotione, & secluso contemptu, adhiberentur, videtur non posse excusari à mortali, ob materiæ gravitatem, & periculum grave, & gravem præsumptionem.

Cultus dicitur etiam superfluus ratione certitudinis vanæ, id est, non nixæ promissione divina; ut cum quis certò credit se à tali morbo, vel periculo liberandum, gestando imaginem, vel Reliquias Sanctorum, vel verba Scripturæ, &c. Quia licet hæc pia sint, tamen à talibus nullus effectus absolutè, & infallibiliter expectari potest, cum nullam habeant virtutem naturalem, nec divinam promissionem absolutam.

Resp. II. Quinque sunt species superstitionis ex parte objecti, quod colitur, seu cultus falsi Numinis, nimirum Idololatria, Divinatio, Vana observantia, ad quam revocantur Maleficium, & Magia.

Q. 3. Quid, & quotuplex est Idololatria?

Resp. I. Idololatria est supremus, ac divinus cultus creaturæ exhibitus, sive est actus, quo cultus supremus, & soli Deo debitus tribuitur creaturæ, ut oblatio Sacrificii facta Idolo, & quodvis signum honoris, quo quis creaturæ tanquam Deo se sub-

submittere intendit: v. g. genuflexio, suffitus, &c. Hinc patet esse scelus maximum, cum per illam honor soli Deo vero debitus tribuatur creaturæ, & sic gravissima injuria Deo inferatur: sicut in rep. maximum crimen est subditum pro Rege agnoscere, etque regium honorem deferre. Sunt autem per se tria signa externa propria latriæ, nempe Sacrificium, Templum, & Altare, quæ proinde sine gravi crimine nulli creaturæ offerri possunt. Alia verò signa, quibus Deus colitur, ut genuflexio, inclinatio capitis latriæ, vel inferiori cultui convenire possunt, & ab intentione, vel à circumstantiis determinantur.

Resp. II. Triplex est Idololatria; alia perfecta, qua quis divinum honorem Idolo defert, quia falsò putat esse Deum. Alia minus perfecta, cum quis creaturæ cultum externum Soli Deo debitum defert, non credens eam habere divinitatem, sed ex pravo affectu, v. g. ex odio veri Dei, vel cupiditate aliquid à diabolo, aliave creatura obtinendi: hæc ob malitiam voluntatis est crimen gravius, quàm perfecta. Et alia simulata, cum quis sine existimatione divinitatis, & interno affectu colendi, sed ex solo metu mortis, supremum cultum creaturæ exterius solum exhibet. Hæc est etiam semper mortale peccatum; nam continet gravem injuriam, ac irreverentiam in Deum, deferendo creaturæ honorem exter-

ternum soli Deo debitum. Estque crimen Læsæ Majestatis Divinæ: sicut qui externis signis subdito honorem regium externum serio præstaret, committeret crimen Læsæ Majestatis humanæ. Est etiam mendacium perniciosum contra Religionem, ac Confessionem Fidei, cum cultus exterior sit signum interioris.

Q. 4. *Quid, & quoruplex est Divinatio?*

Resp. I. Divinatio est significatio, vel inquisitio occultorum ope Dæmonis expressè, vel tacitè invocati. Dico, *occultorum*, id est, quæ ab homine propriâ industriâ cognosci nequeunt. Quod si res illæ à solo Deo cognosci possint, ut sunt secreta cordis, & futura libera, involvitur tacita Idololatria: quia Dæmoni tribuitur honor divinus, ei attribuendo, quod est Dei proprium, & ab eo expectando, quod à solo Deo obtineri potest. Si verò sint tales, quas Dæmon naturaliter scire potest, ut sunt actus externi hominum præsentis, vel præteriti, est nihilominus mortalis culpa; quia continet invocationem, & societatem saltem implicitam cum Dæmone jurato Dei hoste, quod quandam defectionem à Deo: & gravem in eum irreverentiam continet.

Resp.

Resp. II. Divinatio ex parte pacti duplex est: nam alia fit cum expressa invocatione Dæmonis, seu pactione cum eo: ut cum quis verbis Dæmonem invocat, vel aliquid usurpat, per quod putat Dæmonem cooperari. Alia fit cum invocatione tacita, & implicita: ut cum ad occultorum notitiam obtinendam adhibentur media vana, & improporcionata; tunc enim talis notitia non potest expectari nisi à dæmone, cum constet ejusmodi signa vana à Deo non esse instituta, nec à bonis Angelis exhiberi, nec habere connexionem naturalem cum illa: ut cum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum, aut proferendo certa verba.

Resp. III. Divinatio ex parte medii multiplex est, scilicet Præstigium, cum Dæmon variis apparitionibus oculos perstringit; Necromantia, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; Chiromantia, quæ per lineas manûs; Aruspicium, quod per viscera animalium; Auspicium, quod per motum, situm, aut numerum avium; Augurium, quod per garrum avium; Astrologia judicaria, quæ per situm, ac concursum syderum; Sors divinatoria; item quæ fit per somnia, vel signa in aere, aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia, &c. Sed ex communi hæc omnia inter se specie morali non differunt, cum non habeant malitiam notabiliter inter se diversam.

Nos,

Not. 1. Aliquos effectus naturales, v.g. serenitatem, pluviam, tempestatem conjicere licet ex avium, & animalium motu, garritu, volatu; nam hæc sunt proportionata cognitioni talium, saltem probabili.

Not. 2. Duplex est Astrologia; alia naturalis, & licita, qua ex syderum concursu prænantur Eclipses, Venti, Pluvia, Frigus, Æstus, & similes effectus, qui cum illis connexionem naturalem habent. Alia judiciaria, qua ex syderum concursu futura libera prædicuntur. Hæc à Script. Patribus, & multis Conciliis, & utroque jure, & à Sixto V. Constit. 17. graviter damnatur, ac prohibetur, cum actus liberi non possint per Astra cognosci, quippe qui ab Astris non pendent, sed à sola voluntate libera. Sicque Astrologia illa continet superstitionem, sicut aliæ divinationes: eum fundetur in Astris tanquam in signis. Quod si fundetur in Astris tanquam causis, erit etiam Hæreticum, nam tollitur libertas humana.

Not. 3. Triplicis generis sunt Sortes, nempe Divisoria, Consultoria, & Divinatoria. Divisoria sunt eæ, quibus decernitur, cui aliquid tribuendum sit. Licite adhibentur sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, quando jus utriusque partis apparet æquale, & utraque pars in sortitionem consentit. Item quoties

ties non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo debeat præferri, ex Prov. 18. *Contradictiones comprimit fors; & inter potentes quoque iudicat.* Nam non sunt superstitiosæ, quia non assumuntur ad investigandum aliquid occultum; nec injustæ, cum ordinentur ad quemdam contractum, in quo æqualis est contrahentium conditio, ut res sit illius, cui fors obtigerit. Sortes tamen omnes veritæ sunt in Electionibus Ecclesiasticis, cap. 3. *de Sortib.* nec licet etiam Officia Sæcularia sorte distribuere ob periculum eligendi indignum, aut minus dignum. Nam Beneficia, & Officia tum Ecclesiastica, tum Sæcularia conferri debent dignioribus, qui non sorte, sed diligenti inquisitione rationis cognosci possunt.

Sortes consultoriæ, quibus inquiritur, quid in aliqua re obscura sit agendum, sunt illicitæ, nisi ex inspiratione divina fiant; continent saltem tentationem Dei, & periculum deceptionis diabolicæ. Imò sunt superstitio, si à dæmone cognitio expectetur. Quare sub Anathemate prohibentur. cap. *Sortes* 26. q. 5.

Sortes divinatoriæ, quibus inquiritur res occulta, vel futura, ut si quis ex taxillorum projectione, & dispositione divinet, quis sit obtenturus victoriam, beneficium, &c. Sunt vera superstitio, cum sint medium vanum, & improportionatum huic effectui, ideo-

ideoque interveniat in iis tacita dæmonis invocatio. Et graviter prohibentur multis Canonibus *Caus. 27 q. 5.*

Not. 4. Licet aliqua somnia possint à Deo immitti, qui tamen facile, & temere somniis credit, non excusatur à gravi culpa, etsi dicat se credere illa esse à Deo; quia mortali periculo dæmoniacæ deceptionis se exponit; & quantum est ex se vult illis credere, etiamsi à dæmone sint. Ita Suarez. *Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Eccli. 34.* Porro quando somnium ad peccatum, vel ad aliquid imprudens, aut vanum impellit, aut post somnium homo remanet animo turbato, & minus prompto, ac propenso ad opera virtutum, certum est illud non esse à Deo.

Q. 5. Quid, & quotuplex est observantia vana?

Resp. I. Observantia Vana est superstitio, qua ad effectum aliquem obtinendum adhibentur media vana, inutilia & improporcionata: vel qua quis ex observatione eventus fortuiti actiones suas vanè dirigit. Non differt à divinatione, nisi, quòd hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa verò ad effectum externum, vel opus observantis. Quare quæ dicta sunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ observantiæ.

Tom. I.

R r

Resp.

Resp. II. Dividitur 1. In eam, quæ fit cum expressa dæmonis invocatione, seu pactione, ut cum quis verbis dæmonem invocat, vel usurpat aliquid, per quod scit dæmonem operari; & in eam, quæ fit cum implicita, ac tacita invocatione dæmonis, ut cum sine invocatione verbis facta adhibentur ad aliquid assequendum media vana, & impropotionata, nec à Deo instituta. Dividitur 2. In tres species. 1. Est ars notoria, qua ad scientiam aliquam repente, & sine studio acquirendam usurpantur media vana, & impropotionata, ut verba ignota, certæ preces, aliqua potio, &c. Et tunc tribuitur Dæmoni, quod Soli Deo convenit, scilicet infundere scientiam. 2. Est observantia sanitatum, qua ad sanandos morbos hominum, vel animalium, aut vitam, ac valetudinem conservandam adhibentur media vana, & per se inania, ut certa signa, nomina ignota, cœremonia inanes, certæ figuræ, numeri, characteres ignoti, &c. Aut etiam remedia naturalia, sed quibus aliqua frivola, seu vana adjunguntur tanquam necessaria, ut herbæ collectæ in Vigilia Sancti Joannis Baptistæ, aut etiam adhibentur preces, verba, scripturæ, gestatio Reliquiarum, vel Scedarum verbis Evangelii inscriptarum cum vana circumstantia; ut si inserantur aliqua falsa, apocrypha, incerta, aut verba ignota, ineptave: vel si vis, & efficacia precum con-

constituatur in modo eas scribendi, vel proferendi, aut in tali charta, tali figura, tali hora: vel si preces, verba scripturæ, gestatio Reliquiarum adhibeantur cum certa persuasione obtinendi sanitatem aut alios effectus, putà non moriendi sine Confessione, vitandi infortunii, &c. 3. Est observantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi, vel adversi, & inde actiones suas moderatur: ut si quis manè domo egrediens, pedem offendat, & ideo domum revertatur, timens aliquid infausti: vel si quis credat, aliquos dies esse infaustos, ideòque negotia omittat, alios verò faustos, quibus ea conficiat: quod prohibetur cap. *Quis* 26. q. 7. nam cum ista nullam habeant vim naturalem, vel supernaturalem ad ea mala, vel prospera annuntianda, nec cum illis connexionem habeant, observantur ut signa vana, quibus cooperatur daemon, ut animos hominum talibus vanitatibus implicet, & à Deo, ac virtutibus avertat.

Not. Cognoscitur, & fit vana observantia. 1. Si ad effectum aliquem obtinendum adhibeatur aliquid, quod nullam habet vim, seu proportionem naturalem, nec à Deo per se, vel per Ecclesiam institutum est ad talem effectum, aut communi usu fidelium approbatum; tunc enim non potest effectus expectari nisi à dæmone, cum Deus se vanis rebus non immisceat: ideòque tunc

Rr 2

est

est saltem tacita dæmonis invocatio, & cum eo pactio. Ut si quis gestet amuleta, ligaturas, involucra fallis characteribus consignata, contra vulnera, vel subitam mortem, &c. 2. Si medio naturali, vel supernaturali adjungatur aliqua res, vel circumstantia falsa, aut vana tanquam necessaria, & efficax; quia cum illa non sit verum medium, necesse est, ut adhibeatur instar signi, quod cum non sit à Deo, continet pactum occultum cum dæmone, & ejus invocationem implicitam. 3. Cum preces, vel verba Sacra, aut Reliquiæ usurpantur cum certa persuasionem obtinendi infallibiliter effectum; nam cum neque ex natura sua, neque ex promissione divina habeant vim infallibilem, & absolutam, effectus non potest infallibiliter expectari nisi à dæmone: ut si recitentur preces promittentes recitantibus mortis subitæ, vel certi periculi vitationem, nullæ enim preces talem vim absolutam, & infallibilem habent. *S. Antonin.* Secus, si proferantur verba scripturæ, aut gestentur Reliquiæ, vel recitentur quædam preces, quæ nec falsum nec vanum contineant, ad obtinendum aliquid à Deo, si salutem nostram expedire judicaverit, non tribuendo illis vim certam, & absolutè infallibilem; hoc enim pium, ac bonum est, modo nullâ vanâ circumstantiâ contaminetur. 4. Cum ex rebus, vel verbis Sacris effectus vanus expectatur: ut si pro-

proferantur verba Sacra, ut annulus moveatur; nam virtus divina non efficit vana, & inutilia: & ideò ista referuntur saltem tacitè ad dæmonem, qui maximè cupit rebus, vel verbis Sacris honorari,

Q. 6. Quid est Magia?

Resp. Magia generatim est ratio efficiendi mira, hoc est, quæ habent causam occultam, sed creatam, ac proinde, quæ non superant vires naturales hominis, vel Angeli: in quo mira differunt à miraculis, quæ superant vires omnes naturales, & à solo Deo fieri possunt. Duplex est magia, naturalis, & superstitiosa. Naturalis est ratio efficiendi mira industriâ humanâ absque dæmonis opera, unde est licita. Magia superstitiosa, & illicita est ratio efficiendi mira ope dæmonis, estque species vanæ observantiæ. Hæc duplex est ratione finis, seu effectûs; nam vel exercetur ad ostentationem, aut commodum proprium, vel alienum, & vocatur simpliciter magia: vel fit ad nocendum aliis, & tunc dicitur maleficium.

Q. 7. Quale peccatum est divinatio, & quævis vana observantia, ac Magia?

Resp. Est semper de le mortale, à quo sola ignorantia invincibilis excusat, qualis

Rr 3

non

non est in rudibus, qui mōniti se ab iis non abstinēt, vel qui in dubio ea exercent. Nec potest esse veniale ratione materiae. *Est commun.* Prob. 1. ex Deut. 18. *Carve, ne imitari velis abominaciones illarum gentium. Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones Consulat, nec divinos, aut querat à mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus, & propter istius modi scelera delebit eos.* 2. Ex Patribus, & multis Conciliis. 3. Ex cap. 2. de Sortil. ubi Sacerdos qui ex Astrolabio auctorem furti inquirere voluit, etsi sine intentione invocandi dæmonem, gravissimè peccasse dicitur, & à Ministerio Altaris per annum integrum suspenditur. Quia in talibus continetur invocatio dæmonis, & pactio quædam cum eo vel expressa, vel saltem implicita seu tacita; nam quoties ad cognitionem, aut effectum aliquem obtinendum adhibetur aliquid vanum, & per se ad id inutile, nec à Deo vel ab Ecclesia institutum, necesse est, ut talis cognitio vel effectus expectetur à dæmone, & ejus ope obtineatur, cum obtineri nequeat per vim talis medii, utpote per se inutilis, & improportionati, nec à Deo, qui res illas vanas non instituit, nec iis utitur, nec à bonis Angelis, qui nil agunt nisi Dei jussu: unde tunc facto invocatur dæmon

mon, à quo id expectatur, & cum eo in-
 tur quædam societas, usurpando ea quibus
 se immiscet, & cooperatur. Omnis autem
 invocatio, pactio vel societas etiam impli-
 cita cum dæmone, perpetuo Dei hoste, in
 quavis re est graviter injuriosa Deo, & in
 ejus contemptum cedit, cum homo relicto
 Deo ad hostem ejus infensissimum hono-
 remque divinum affectantem confugiat:
 quod est crimen Læsæ Majestatis Divinæ,
 sicut in Rep. Societas, & Commercium cum
 hoste Principis est crimen Læsæ Majestatis,
 præsertim si ille conetur in omnibus actio-
 nibus Principi contumeliam inferre. Hinc
 illud 1. Cor. 10. *Nolo vos socios fieri Dæ-
 moniorum.*

Nec obstat, quòd aliquis testificetur, se
 renuntiare omni pacto; quia re ipsa facit
 contra suam testificationem, hoc ipso, quòd
 medium vanum usurpat; nam facto ipso
 opem dæmonis implorat, & vult tacitum
 pactum, volendo uti rebus vanis, & impro-
 portionatis ad aliquid obtinendum; cum
 illud non possit expectari, nec obtineri nisi
 à dæmone, qui solus talibus rebus coope-
 ratur, & se immiscet, testificatio autem fa-
 cto contraria nil excusat, & est illusoria.
 Gravius tamen crimen est, si invocatio, &
 pactio sit explicita, cum sit expressa volun-
 tas dæmonem verbò, aut factò invocandi,
 ideòque in Confessione explicari debet.

Hinc mortaliter peccant 1. Qui occul-

ta, vel futura per media vana, & impropor-
tionata inquirunt, prædicunt, enunciant,
vel qui tales consulunt, aut eorum dictis
fidem certam adhibent. Item qui alios de
fortuna consulunt seriò, vel cum scandalo:
si autem joco tantùm, nec fides adhibeatur,
& scandalum absit, dicunt esse solùm venia-
le, quia superstitio non est perfecta, nec læ-
ria. Obstat tamen, quòd consulens coo-
peretur peccato mortali alterius, ideòque
mortaliter peccet, nisi uterque joco tantùm
agat, nam tunc videtur peccare solùm ve-
nialiter. 2. Qui notitiã ex divinatione
partã utuntur tanquam certã, vel actiones
suas secundùm eam dirigunt. 3. Qui ad
aliquid obtinendum media inepta, & im-
proportionata adhibent, etiam joci causã,
sed ex quadam curiositate, ut experiantur,
quid casu accidat, quamvis putent, totum
esse vanum & futile: nam ii tentant expe-
riri, an dæmon de factò se illis mediis im-
miscat: ergo tentant cum dæmone socie-
tatem habere, quod mortale est, etsi joco
fiat. *Ua Castropal. La Croix, &c.*

Q. 8. *Quid est Maleficium?*

Resp. Est ratio nocendi aliis ope dæmo-
nis: unde continet triplicem malitiam
mortalem, scilicet contra Religionem, cha-
ritatem, & justitiam. Duplex est, aliud
dicitur veneficium, quo alicui in propria
per-

sona, vel animalibus damnum inferitur, morbis, doloribus, morte, &c. Fitque multis modis, utendo vel causis naturalibus cognitis ope Dæmonis, aut signis, ut cum imagines punguntur in aliqua parte, & tunc aiii læduntur in simili parte corporis: vel signa quædam aliorum corporibus, vel vestibus applicando, quibus durantibus malè afficiuntur. Aliud est amatorium, seu philtro, quod adhibetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone humores, & phantasiam commovente, unde oritur gravis tentatio, quæ tamen libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream consentiunt, verè peccant mortaliter.

Porro maleficium tolli potest 1. Exorcismis, oratione, pœnitentia, jejuniis, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex Medicina petitis. 3. Destructione seu combustione signorum, quibus annexum est pactum, præcisè ut operum Diaboli, ex Rit. Roman. *d. Exorciz.* at non licet illud tollere per aliud maleficium, vel superstitionem, cum sit intrinsecè malum invocare dæmonem, vel ad id inducere.

Not. Divinatores, magi, & malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum dæmone, & commercium abjurent, ac dissolvant, & omnia signa, artis magicæ instrumenta, libros, schedas, ligaturas comburant, & damna illata resarciant. Quodd

si Chirographum dæmoni dederint, non necesse est illud ab eo extorqueri; nam ad ejus destructionem sufficit pœnitentia.

ARTICULUS II.

De Irreligiositate.

Irreligiositas est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis sacris inhonoratur. Quintuplex est species, scilicet, blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, & perjurium, de quo jam egi.

Q. 1. Quid est Blasphemia, & quatuorplex?

Resp. 1. Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum: triplex est specie diversa, nempe Hæreticalis, Imprecativa, & merè Dehonestativa. Hæreticalis est ea, quæ hæresim continet, & sic duplicem habet malitiam mortalem, nempe contra fidem, & Religionem: fit vel attribuendo Deo id, quod ei non convenit: ut si dicatur tyrannus, crudelis, injustus, &c. Item ô miserum Deum; vel de eo negando, quod ei convenit: ut si dicatur non esse omnipotens, bonus, misericors, non curare nostra, non prospicere rebus humanis, non omnia esse bene ordinata, dæmonem esse Deo me-

meliolem, fideliolem, &c. Vel tribuendo creaturam, quod Dei proprium est: ut si dicatur dæmon aliquid creasse, vel mundum regere, &c.

Hinc Hæreticalis est hæc Blasphemia, *denego Deum, Christum*; quia denegatur Deo existencia aut Dominium; & ista, *denego Evangelia*; quia denegatur Deo veritas infallibilis. Item si dicas *denego Deum, si hoc ita non est*: quia negare Deum etiam sub conditione cuiusvis objecti, est negare, quod Deo proprium est, scilicet existentiam à quolibet objecto creato independentem. Si tamen non crederetur error per blasphemiam expressus, tunc non committeretur hæresis, sed grave peccatum contra Confessionem externam Fidei, & aliud contra honorem Dei. Imprecativa est ea, qua quis Deo malum imprecatur, ut si dicas: *utinam Deus non esset, non haberet potentiam, sit maledictus, pereat Deus, &c.* Hæc odium Dei continet.

Merè dehonestativa est ea, qua per modum contumeliæ, & contemptûs enuntiatum aliquid Deo conveniens, ut illud Juliani, *vicisti Galilæe*: aut indignanter, irreverenter, irrisoriè, exprobrativè, contumeliosè nominatur Christi mors, caput, vel Sacramenta, Mysteria, ut cum ex ita profertur contumeliosè mors Dei: nam ista tunc dicuntur de Deo tanquam contem-

tem-

temptibilia, & vituperabilia, & in his magnus Dei contemptus apprehenditur, unde graviter prohibentur cap. *Siquis* 2. 2. q. 1.

Revocantur ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut in Cælum spuere, infrendere dentibus, &c. Item blasphemix sunt vituperia, & verba contumeliosa tum contra res sacras, cum ad Deum eorum auctorem redundent: tum contra Sanctos, quia (ut ait S. Thom. q. 13. a. 1.) Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit: ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, redundat in Deum, qui in iis elucet: & ad hoc sufficit virtualis habitudo ad Deum. Quare cap. 2. *de Maledic.* graviter punitur, *si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maxime B. Virginem, linguam in blasphemiam publicè relaxare presumpserit.*

Imò blasphemia est, maledicere creaturis irrationabilibus, quatenus sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta, ut tempestat; nam iis maledicere sub ea ratione est maledicere Creatori. S. Thom. q. 76. a. 2. blasphemiam tamen immediatè in Deum prolata gravior est, quàm in Sanctos; nam gravius est Deum in seipso contumeliâ afficere quàm repræsentatum in Sanctis, & in his, quàm in aliis creaturis.

Rursus blasphemiam, sicut laus Dei, cui
directè

directè opponitur, alia est cordis, seu merè interna: alia oris seu merè externa, quæ verbis, vel aliis signis externis exprimitur. Ita S. Thom. q. 14. a. 1.

Q. 2. *Quale peccatum est blasphemia?*

Resp. Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec admittit levitatem materiæ; quia quælibet Dei contumelia, vel maledictio est gravis injuria, & contemtus Dei, cum per eam infinita Dei majestas positivè deprimatur, & dedecoretur. *Nihil horribilius blasphemiâ, qua ponit in exelsum os suum.* ait S. Hieron. l. 7. in Isa. c. 18. hinc illud Ps. 36. *maledicentes ei disperibunt.* Et in lege veteri morte puniebatur Levit. 24. *qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

Not. 1. Ad mortalem blasphemiam non requiritur intentio expressa, ac formalis Deum inhonorandi: sed virtualis, & interpretativa sufficit, nempe cum quis liberè profert ea, quæ ex propria significatione, vel communi apprehensione, & ex modo proferendi, aliisve circumstantiis Dei inhonationem continent. licet id fiat sine ullo pravo in Deum affectu, sed ex joco, vel ad iram, aut indignationem exprimentam; quia hæc per se tendit in gravem Dei inhonationem: & reipsa gravis est irreverentia, & inhonoratio Dei assumere
ver-

verba, ei contumeliosa, ad jocum, vel iram exprimendam: gravior tamen injuria esset, si hoc fieret ex directa intentione Deum inhonorandi, vel ex animo in Deum irato: & tunc saepe conjungitur cum odio saltem abominationis in Deum.

Not. 2. Blasphemia Hæreticalis, & imprecativa debent declarari ut plura peccata specie diversa; nam prior præter irreligiositatem, seu contumeliam Dei, continet malitiam hæresis, si adsit assensus internus, vel si desit, negationis externæ Fidei contra præceptum confitendi fidem. Posterior verò malitiam odii Dei contra charitatem Dei. Item blasphemix prolatae contra Sanctos differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra solum Deum; nam irreverentia, quæ fit contra aliquem Sanctum, semper habet duplicem malitiam: unam contra duliam, quæ inclinatur ad colendum Sanctos propter eorum excellentiam supernaturalem creatam; & alteram contra virtutem Religionis, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam Dei; ex illa enim irreverentia in Sanctos redundat irreverentia in ipsum Deum, propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum Sanctis. Et licet non intendatur irreverentia Dei, sufficit tamen indirecta volitio ad contrahendam malitiam. Imò blasphemix contra B. V. differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra alios
San-

Sanctos, cum hyperdulia, qua colitur Dei Mater, specie differat à dulia, qua coluntur alii Sancti, propter diversitatem maximam excellentiæ, in qua fundatur cultus Dei paræ. Blasphemiæ verò in alios Sanctos omnes pertinent ad eandem speciem, cum sint omnes contra duliã. *Ita de Lugo.*

Not. 3. Qui habet consuetudinem blasphemias proferendi, vel sibi, aut aliis demonem, aut grave malum imprecandi, tenetur sub mortali efficaciter proponere, & seriò conari eam evellere. Alioqui toties peccat, quoties ad eam advertens id omittit; quia vult saltem interpretativè permanere in morali periculo peccandi, cum pravus habitus ad similes actus vehementer pertrahat, & pariat necessitatem moralem peccandi. Et quandiu eam consuetudinem non retractat, nec curat emendare, imputantur ei ad culpam mortalem blasphemix omnes, quas ex ira aliqua, aut alio passionis motu, etsi sine advertentia ad verborum sensum profert. *Ita Tolet. de Lugo, Sanchez, & alii multi.* quia sunt sufficienter voluntariæ, ac liberæ in causa non retractata, & quam emendare non curat. Quòd si contritione elicita quis interim, dum diligenter curat illum habitum extirpare, subinde labitur ex inadvertentia, & non ex negligentia, excusatur à culpa: quia blasphemix illæ, impetu naturali effusa,

fusa,

fusæ, non sunt voluntariæ nec in se, nec in sua causa, cum consuetudo, uti supponitur, efficaciter retractata sit, & eam, quantum potest, emendare conetur. *Quicumque verò blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare teneatur, si citra periculum suum id fieri posse contingat, eundemque deferre, vel notificare apud judicem Ecclesiasticum, seu Sæcularem intra triduum debeant.* ait Leo X. in Conc. Later. s. Sess. 9.

Not. 4. Appellatio nominis Dei, vel Jesu, vel Sanctorum, per modum loquendi, non tamen contumeliæ, ut *O Jesu! Deus bone!* &c. Licet non sit blasphemia, est tamen vana usurpatio nominis Dei, & culpa venialis contra Religionem. Nam Sanctum, & terribile nomen Domini usurpare sine reverentia, ac pietate, sed tanquam modum loquendi, est habere illud tanquam aliquid profanum, idèoque est irreverentia. Unde prohibetur Eccli. 23. *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis.* id est à peccato irreverentiæ contra eos.

Not. 5. Assidua nominatio dæmonis, licet sine imprecatione, sed per modum loquendi, cum Christianum non deceat, omnino vitanda est; & ratione scandali potest esse grave peccatum, ut notat *Layman.*

Q. 3. *Quid est tentatio Dei, & quale peccatum?*

Resp. Tentatio Dei est dictum, vel factum, vel omissio ad capiendum experimentum divinæ alicujus perfectionis, ut potentiæ, bonitatis, &c. vel voluntatis, per effectum extraordinarium à Deo temerè expectatum. Deus autem tentatur dupliciter. 1. Expressè, cum ex directa intentione experimenti sumendi de aliqua Dei perfectione, aliquid fit, vel omittitur: ut si petatur miraculum, ut innotescat Dei potentia, vel ejus in aliqua re voluntas, omis- sis aliis mediis, vel si quis in puteum saliat ad explorandam Dei in se providentiam. 2. Implicitè, & interpretativè, quando etsi non intendatur tale experimentum. id tamen fit, vel omittitur, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad explorandam aliquam Dei perfectionem, vel voluntatem: ut si quis nolit uti mediis ordinariis, vel à Deo institutis, ad aliquid, quod optat, sperans id à Deo solo, v. g. sanitatem sine remediis, conservationem vitæ sine cibo, & potu; vel si quis velit docere, aut concionari sine ullo studio, &c. Huc etiam pertinent eæ probationes justitiæ, vel innocentia, quæ fiunt per ferrum candens, vel aquam, aut per duellum, aut aliter, & dam- nantur cap. *Mennam* 2. q. 1. & cap. ult.

Tom. 1.

Ss

de

de Purgat. Vulg. Si tamen ista fierent ex intentione experiendi, an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur, essent tentatio Dei expressa.

Resp. II. Omnis tentatio Dei prohibetur Deut 6. & Matth. 4. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Estque per se peccatum mortale, sive fiat expressè, ac directè; nam velle expressè aliquam Dei perfectionem explorare, est magnus Dei contemptus, & gravis irreverentia: sive fiat indirectè, & tacitè; nam gravis est in Deum irreverentia, quod vilis creatura negligat, ac respuat ordinaria divinæ providentiæ media, velitque saltem interpretativè, ut Deus ad nutum illius sine necessitate leges suæ providentiæ immutet. Item mortale est ex sola curiositate petere miraculum; nam est agere cum Deo tanquam cum ludione, ac curiositatum fautore, & velle, ut sua omnipotentia aliquid mirabile ad hunc vanum finem efficiat, quod summam Dei sapientiam, ac majestatem valde dedecet.

Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem, ut si quis dubitans de aliqua Dei perfectione, vel providentia, eam miraculo experiri cupiat. Quandoque est etiam contra charitatem propriam, ut si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis. Licet tamen petere à Deo miraculum ad bonum finem, vel ex speciali ejus
in.

inspiratione, vel si necessitas justa, aut pia utilitas adsit, quando omnia media ordinaria non sufficiunt, modo id petatur cum humilitate, & res tota divinæ voluntati committatur: nam tunc nulla est irreverentia in Deum.

Q. 4. *Quid est Sacrilegium, & quod-
tuplex?*

Resp. I. Sacrilegium est violatio, seu indigna tractatio rei Sacræ, hoc est, rei Deo dicatæ, sive ad Dei cultum specialiter destinatæ. Violatur autem res Sacra, cum aliquid fit, quod peculiariter sanctitati illius, vel reverentiæ illi debitæ, seu Deo in illa debitæ repugnat: sive violatio rei Sacræ est quælibet irreverentia in illam.

Resp. II. Cum triplicis generis sit res Sacra, scilicet Persona, Locus, & Res aliæ, idcirco tres sunt sacrilegii species, Personale, Locale, & Reale.

1. Sacrilegium Personale est, quo indignè tractatur Persona Sacra, ut Clericus, vel Religiosus. Quod fit quatuor modis, primò eos injustè percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam, ac contumeliosam in eos injustè exercendo, contra privilegium Canonis: *si quis suadente.* 2. Eos subjiciendo Tribunali Sæculari contra privilegium fori. 3. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima aucto-

ritate contra immunitatem Ecclesiasticam; nam hæc privilegia eis, concessa sunt intuitu Religionis. 4. Omne peccatum contra castitatem à Religiosis, vel Clericis Sacro Ordine insignitis commissum, est sacrilegium; quia per votum corpus suum, & animam specialiter Deo consecrârunt quoad fugam omnis actûs venerei. Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cum ei cooperentur. Item cujuslibet voti violatio est sacrilegium; nam eo ipso, quod res per votum Deo dicata est, jam est jure divino ad Dei cultum destinata idèoque *Sacra. Cajet. Azor, Bonac. Lessius, & alii.*

Secundò Locale est violatio loci Sacri, ut Templi, & Cæmeterii. Qualis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci vel cultu divino repugnantiam, sive ex natura sua, sive ex prohibitione Ecclesiæ, videlicet.

1. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, everasio altaris cap. 22. *de sent. excom.*
2. homicidium, effusio illicita sanguinis, aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non Baptizati; nam his polluitur locus sacer. 3. Usus profanus Ecclesiæ tanquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum Sæcularium, seditio, conclamatio, vana, & profana colloquia, confabulationes

nes quælibet tempore divini officii, vel quævis alia, quæ cultum divinum turbare, aut impedire possunt, aut oculos divinæ Majestatis offendere, cap. *decer de immun. in 6.* ex Conc. Gener. Lugdun. 11. à quo hæc omnia prohibentur. 4. Extractio violenta rei è loco Sacro, ubi Lex asyli viget. 5. Furtum sive rei Sacræ, sive rei profanæ in loco Sacro, quamvis ibi non depositæ, ut crumenæ occulta abscissio, ex cap. *Quisquis 17. q. 4.* ubi Joan. 8. ait, *Sacrilegium committitur auferendo Sacrum de Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro.* Ubi autem Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, sed generaliter & indistinctè accipiendum est, quod Lex generaliter dicit. Et ad reverentiam Ecclesiæ pertinet, ut res omnes, in ea positæ, à furtis & injuriis sint liberæ. Ita *Suarez, Layman, Reginal. Filliucius asserens, esse communem.* 6. Convivia, cap. 4. Dist. 42.

Tertio Sacrilegium Reale est indigna tractatio rei Sacræ, distinctæ à persona, & loco. Res autem illæ dicuntur Sacræ, quæ vel sanctitatem producant, ut Sacramenta: vel quæ Sacra significant, ut verba scripturæ: vel quæ Sacra repræsentant, ut Imagines Christi, & Sanctorum, item Cærimoniarum Sacræ: vel quæ sunt particulæ, aut res Sanctorum, ut Reliquiæ: vel quæ ad cultum Dei, & ejus Ministrorum susten-

tationem, usque pios sunt consecrata, seu destinata, ut Vasa Sacra, Ornamenta, item bona temporalia Ecclesiæ. cap. 4. *Et sequent.* 17 q. 4. & cap. *nulli.* 12. q. 2. Et ex Conc. Gener. Later. 2. Can. 10. & aliis.

Porro etiam sola omissione committitur sacrilegium, ut si Chrisma vel SS. Eucharistia non satis custodiatur clavibus adhibitis, vel si Vasa Sacra, Corporalia, Pallæ, vestimenta, altaria, & similia non sint satis munda, aut decora, ex cap. 1. & 2. *de Custod. Euchar.* vel permittantur species corrumpi in pixide, &c.

Cum autem in iis rebus diversæ sint habitudines ad sanctitatem, seu diversa sit ratio sanctitatis, ideo diversas constituunt species rerum Sacrarum, & sic earum violationes sunt sacrilegia diversæ speciei. Lessius & alii addunt tempus Deo dicatum, nempe dies Dominicos, ac Festos, eò quòd sint mensura actionum Sacrarum, & ad illas destinati: quamvis alii dicant violationem Festi non esse sacrilegium, sed quamdam Irreligiositatem.

Hinc sacrilegium reale est indigna administratio, vel susceptio Sacramentorum, profanatio Reliquiarum, Imaginum, Vasorum Sacrorum, ut si quis utatur Calice ad potandum, Ornamenta Sacra ad usus profanos adhibeat; abusus verborum Scripturæ non solum ad errores confirmandos,
sed

sed etiam ad res profanas: unde Conc. Trid. Sess. 4. Verbi Dei violatores appellat, jubetque puniri eos, qui Verba & sententias S. Scripturæ ad profana quæque convertunt, & torquent ad scurrilia, fabulosa, vana adulationes, detractiones, &c. Item invasio bonorum sive mobilium sive immobilium, & jurium Ecclesiæ, suppressio piorum Legatorum, defraudatio decimarum, &c. Nam hæc ad Dei cultum data sunt.

Q. 5. Quale peccatum est Sacrilegium?

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia per illud Deus in rebus sacris inhonoratur; irreverentia enim rei Sacræ illata redundat in ipsum Deum, ad quem relationem habet, & ad cuius cultum destinata est. Deinde ratio ipsa dicitur, Sancta sanctè, & reverenter tractanda esse. Est autem tantò gravius crimen, cæteris paribus, quantò res, quæ violatur, est sanctior, & sacratior. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, ut si unus assis in Ecclesia surripiatur.

Porro cum sacrilegium novam speciem peccati constituat ratione specialis deformitatis oppositæ Religioni, debet semper exprimi in Confessione. Hinc circumstantia personæ sacræ in luxuria, loci sacri in furto, &c. declaranda est; nam utrum-

que continet duplicem malitiam specie di-
versam: unam contra Religionem, alteram
contra castitatem, vel justitiam. Imò quia
omnia sacrilegia non sunt ejusdem speciei
infimæ, nec gravitatis, debet quoque ex-
primi, in qua re fuerint commissa.

*Q. 6. An omne peccatum, in loco sacro
commissum, contrahit speciem Sa-
crilegii?*

Resp. I. Certum est contrahere, si sit
specialiter ab Ecclesia prohibitum in loco
sacro, quales sunt actus supradicti; quia
quod prohibetur fieri in loco sacro, pro-
hibetur intuitu, & ex motivo Religionis.
Unde tunc actus vetitus opponitur specia-
liter virtuti Religionis.

Resp. II. Omne peccatum, saltem ex-
ternum, in Ecclesia commissum, contrahit
inde malitiam sacrilegii; quia tale pecca-
tum repugnat sanctitati loci, Deo conse-
crati, & propriæ ejus institutioni, quæ est,
ut Deus in eo piè colatur. Nam est per
se, & ex natura rei indecentia, ac irreveren-
tia, ut locus orationi, & cultui divino di-
catus convertatur in locum peccandi, &
offendendi Deum. Enimverò si actus pro-
fanus alibi licitus, ut venditio Columba-
rum ad usum Templi violat Sanctitatem
loci, & ideo Matth. 21. prohibetur à Chri-
sto, qui eiciebat omnes vendentes, & emen-
tes

res in Templo, quia Templum est *Domus orationis*, hoc est, solis actionibus piis destinatum. A fortiori actus per se malus factus in loco sacro sacrilegium est. Deinde à Conc. Gener. Lugdun. cap. *decel.* prohibentur in Ecclesia, quæcunque possunt oculos divinæ Majestatis offendere.

Multi verò id negant de actu merè interno; quia, inquit, nullam habet relationem ad locum sacrum, utpotè sensibilem, nec proinde repugnant ejus Sanctitati, ac reverentiæ. Sed hæc ratio non omnes convincet.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Q. 1. *Quid est Simonia?*

Resp. Definitur studiosa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Sic dicta est à Simone mago, quòd ille primus in nova lege hoc crimen admisit volendo emere dona Spiritùs Sancti.

Dicitur 1. *Studiosa voluntas*, id est, voluntas deliberata, ac libera.

2. *Emendi, vel vendendi*, hoc est, commutandi pretio temporali, sive non gratis dandi, aut accipiendi, sed interventu pretii

Ss 5

tem-

temporalis ; nam his verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive sit nominatus, sive innominatus, ut docent omnes cum S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 5. quare sufficit emptio, & venditio virtualis.

3. *Pretio temporali*, quo intelligitur pecunia, & res omnis pecunia æstimabilis, ac quævis commoditas temporalis. Secundum omnes cum S. Gregor. cap. *sunt*. 1. q. 1. & S. Thom. q. cit. a. 5. Simonia pretium triplex est. 1. Munus ab obsequio, id est, quodvis obsequium, servitium, ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum: ut si quis alteri Beneficium conferat pro eo, quod ejus negotia gesserit, &c. 2. Munus à manu, scilicet pecunia, vel res omnis mobilis, aut immobilis pretio æstimabilis, ut gemmæ, equus, vinum, prædium, remissio debiti, jus aliquod, &c. 3. Munus à lingua, nempe favor, patrocinium, intercessio, adulatio, laus, commendatio apud alium, &c. Nam hæc sunt pretio æstimabilia, & commodum temporale pariunt: ut si quis Collatoris, vel Patroni amico, aut famulo det munera, ut pro ipso Beneficium petat, eum laudet, ac commendet, &c. Hinc cap. *Salvator* 1. q. 3. *Qui res Ecclesiasticas munere lingua, vel indebiti obsequii, vel pecunia largitur, vel adipiscitur, simoniacus est*; nam in his casibus commutatur saltem æquivalen-

lenter, & moraliter spirituale, vel spirituali annexum pro temporali; & interventu rei temporalis acquiritur spirituale.

4. *Spirituale* id est res, vel actio Sacra, seu ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritus Sancti, gratia, virtutes, oratio, Sacramenta, divina Officia, Benedictiones, Reliquiæ Sanctorum; item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus, ut omnis actus ordinis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ. Hinc Concio, Exhortatio, Catechesis facta à Ministro Ecclesiæ est materia Simonix, cum ad salutem immediatè ordinetur. Secus, de munere, & actu docendi Theologiam, quia Theologia licet versetur circa objectum supernaturale, potest propriis viribus acquiri, & actio eam docendi per se primò non ordinatur ad animæ salutem, neque immediatè dirigitur ad movendam voluntatem.

5. Per *spirituali annexum* intelligitur id, quo ad spirituale ordinatur, vel ab eo dependet, aut ei conjungitur. Potest autem conjungi, vel antecedenter, ut jus Patronatûs, quod præsupponitur præsentationi ad Beneficium: Altaria, Vasa Sacra, quæ antecedenter ordinantur ad Sacrificium Missæ, & ei præsupponuntur: vel concomitanter, ut labor intrinsecus, & necessarius administrationi Sacramentorum: vel consequenter, ut proventus Beneficii, qui supponunt Officium Divinum.

Not.

Not. Allata definitio strictè est simonia juris divini, non simoniæ juris Ecclesiastici saltem omnis; nam non convenit simonia, quæ reperitur in permutationibus, & resignationibus factis sine auctoritate Superioris citra temporale pretium. Sic autem potest generatim simonia omnis defini: quævis pactio, datio & acceptio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege prohibita ob reverentiam rei Sacræ. Porro id in spiritualibus est simonia, quod in temporalibus usura; & sicut datur usura paliata, ita & simonia.

Q. 2. An ad simoniam requiritur intentio formalis dandi, vel accipiendi rem temporalem ut pretium rei spiritualis?

Resp. Neg. Sed sufficit voluntas dandi, vel accipiendi spirituale non gratuito, sed pro temporali, sive ut pretio, vel compensatione, sive ut motivo saltem principali. Item sufficit intentio virtualis emendi, vel vendendi, seu commutandi spirituale pro temporali, inclusa in voluntate obtinendi spirituale per temporale, & vicissim.

Prob. Quia 1. Simon magus Act. 8. damnatur quòd præcisè obtulisset pecuniam eo fine, ut acciperet potestatem conferendi spiritum Sanctum, & quod existimâris donum Dei pecuniâ possideri, hoc est,

est, acquiri per pecuniam. 2. cap. 34 *de Simon.* dicitur simoniae reus, qui sine ullo pacto donationem facit *eâ intentione, ut per temporalia bona, qua offert, spiritualia valeat adipisci.* & Conc. Gener. Later 1. cap. 1. prohibet *ordinari quemquam per pecuniam, vel promoveri.* & Conc. Gener. Later. 2. cap. 2 vetat Beneficium, vel aliquid spirituale per pecuniam acquiri cap. 1^o item cap. *ex multis* 1. q. 3. dicitur: Chalcedonense Concilium. *Condemnat eos, qui Ecclesia Beneficium interventu pecunia acquirunt.* 3. Innoc. XI. damnavit hanc propos. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.* 4. Per hoc tractatur res spiritualis ut commutabilis, & comparabilis re temporali, non ut donum gratis dandum & accipiendum contra illud Christi, *gratis accepistis, gratis date.* 5. Tunc moraliter loquendo, & in æstimatione prudenti temporale re ipsa se habet ut pretium, cum non detur alio titulo, quam ad obtinendum spirituale, nec conferatur spirituale nisi ad temporale consequendum. Sicut enim dans munus judici ut motivum ad obtinendam sententiam iniquam dicitur

tur

tur emere justitiam; & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam: ita qui dat temporale, ut moveat alium ad dandum Beneficium, emit virtualiter Beneficium; & qui confert Beneficium propter munera data vel danda, illud vendit. Et verò tunc datur unum loco alterius. 6. Aliàs nemo subtilitatis Metaphysicæ peritus posset unquam simoniam admittere; aperireturque via latissima simoniæ.

Aliud est cum datur temporale per modum stipendii, sustentationis: nam datur in subsidium necessarium ad sustentationem personæ occupatæ in gratiam dantis, & quæ interea actioni sibi quæstuosæ vacare non potest. Lex enim naturalis postulat, ut sustentatio, spectato personæ statu, supeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

Q. 3. Quotuplex est Simonia?

Resp. Dividitur 1. In eam quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideo prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est emptio, vel venditio etiam virtualis rei, aut actionis Sacræ: nam recta ratio dicit rem Sacram indignè, ac irreverenter tractari hoc ipso, quod datur, vel accipitur pro re temporali æquiparatur factò, sicque deprimi-

tur.

tur. Simonia juris humani est pactio, aut commutatio, aut acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam simoniæ, sed solum ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis, seu intuitu reverentiæ erga res Sacras. Nam Lex facit, ut objectum suum sit materia illius virtutis, ex cuius motivo fertur: sic communio à non jejuno facta est sacrilegium: quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2. In mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem.

Simonia mentalis non est præcisè nudum propositum committendi simoniam, nam hæc dicitur purè mentalis, & hoc modo datur etiam furtum mentale, seu merè internum; sed est actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente: sive est datio, vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito: ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret Beneficium, nullâ tamen verbis, vel nutibus factâ conventionem. Hæc autem est vera simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum simonia reali, ex cap. 34. *de Simon.* Conventionalis est pactio simoniaca expressa, vel tacita, seu implicita, sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utràque parte. Nam alia est purè con-

con-

ventionalis, quæ neutra ex parte completa est: alia conventionalis mixta, & semirealis, quæ ex una tantum parte completa est, ut si post pactiorem initam conferatur ab uno Beneficium, sed ab alio non detur temporale, vel e contra: unde participat aliquid de reali.

Realis est pactio simoniaca ex utraque parte completa saltem inchoate: quod addo, quia ad simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia confidentiæ, est cum quis alteri Beneficium procurat. eligendo, præstando, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione, cum confidentia, hoc est cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur illud aliquando resignet procuranti, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc simonia graviter prohibeturra Pio IV. Bulla 85. & à Pio V. Bulla *intolerabilis*. dicitur confidentialis, eo quod procuratio Beneficii nitatur confidentiâ pactiorem, vi cuius Beneficium ipsum, vel fructus illius, pensione expectatur.

Quatuor modis committitur 1. Per accessum, ut cum Prælati volens tibi per artem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quam primùm capax fueris, illud accipias.

2. Per

2. Per ingressum, ut cum quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel dimissurus sit.

3. Per regressum, eum quis Beneficium à se possessum alteri resignat ea conditione, ut ille sibi vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4. Si presentans, resignans, conferens, &c. Paciscatur expressè, vel tacitè, ut pensio vel pars fructuum Beneficii sibi, vel alteri detur. Porro ad hanc simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium. Hinc qui resignat Beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis.

Q. 4. *Quibus casibus est simonia juris divini, ideòque indispensabilis?*

Resp. Ea generatim prohibentur ut simoniaca jure divino naturali, & positivo, quæ cum sint spiritualia, vel spiritualibus annexa, commutantur pro temporali. Speciatim verò sequentia 1. Dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis spiritus Sancti, Sacramentis, Reliquiis Sacris, quavis potestate spirituali, sive ordinis, sive jurisdictionis, ejusve

Tom. I.

T t

actu,

actu, Prælatura Religioforum, jure eligendi, usu gratiarum gratis datarum, precibus, Officiis Divinis, Miffa, Concione, quavis functione fpirituale, &c. Ita omnes. Nam hæc omnia ad finem fupernaturalem per fe primò ordinantur; & fuppoſita fide recta ratio dicitur res Sanctas Sanctè eſſe tractandas, & res fupernaturalis ordinis idè que inæſtimabiles pretio temporali, ut viſes, ac infimas indignè tractari ſi commutentur re temporali. 2. Dare vel accipere temporale pro Beneficio Eccleſiaſtico etiam ſimplici, & ſolùm quo ad jus percipiendi fructus temporales. Eſt communis Theologorum ſententia teſte Suarez & Prob. tum ex cap. *Salvator*. & cap. ex *Multis*. l. q. 3. Tum quia jus illud ita eſt connexum Officio ſpirituale, ut non poſſit obtineri niſi ratione illius Officii: cujus exercendi jus habeatur; nam jus percipiendi fructus temporales Beneficii eſt jus tales fructus obtinendi Ministerio ſpirituale, cujus exercendi jus habeatur: Beneficium enim eſt propter Officium ex c. ult. *de Reſcript*. in 6. & ex Trid. Seſſ. 21. c. 3. *Cum Beneficia ad divinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia ſint conſtituta*. Ita ut jus percipiendi redditus neceſſariò, & ex juſtitia debeatur & acquiſitum ſit ei, qui habet titulum, id eſt poteſtatem exercendi tale Ministerium ſpirituale, propter quod fructus ſunt deſtinati. Ergo jus illud percipi-

piendi fructus vendi non potest, quin vendatur primario, & directè jus exercendi Officium spirituale, & ipsum Officium, ex quo hoc jus provenit, ex cap. *si quis* 1. q. 3. *Quis quis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum inventum de relinquit.* Quare etsi non teneris dare Beneficium alteri, tamen si conferas, teneris gratis conferre, nec potes temporale ei annexum subtrahere. *Beneficia nullo modo vendere licet: quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditione subjici.* ait S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis titulum seu jus Officii Spiritualis abrogare, & temporale Beneficii ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem alienare. Et tunc temporale Beneficii separatum à titulo nil haberet Spirituale, nec proinde ejus distractio esset simoniaca. Idem est de commenda Clericali, ac de Beneficio, cui æquivalet, quia principale in ea est Spirituale Ministerium, cui temporale commodum consequenter annexum est. 3. Omnis transactio in Beneficiis, vel aliis rebus spiritualibus facta compensatione cum re propriè temporali, nam tunc spirituale commutatur cum temporali. 4. Dare vel exigere temporale non solum pro receptione, seu admissione ad Religionem, ut patet, (nam hæc est quid spirituale, cum ex se ordinetur ad animæ

salutem, perfectionem, ac Dei cultum) sed etiam pro sustentatione ingredientis Religionem, quando bona Monasterii sufficiunt. *Ita multi.* quia jus vivendi ex bonis Religionis est ex institutione Ecclesie, & mente Fundatorum annexum Professioni, sicut jus percipiendi redditus annexum est admissioni ad Canonicatum: ita ut illud nequeat obtineri nisi ratione Professionis, quæ est quid spirituale. Nam Monasteria sunt dotata, & auctoritate Ecclesie sic instituta, ut homines ibi adscripti liberius Deo vacarent, & assidue pro fidelibus orarent. Ergo nihil exigi potest pro jure vivendi ex bonis Monasterii, quin exigatur pro ipsa professione, ex qua provenit hoc jus, quod est spirituale, vel saltem spirituali annexum. Quemadmodum igitur non potest citra simoniam juris divini in Beneficio, conferendo vel resignando vendi, vel emi jus percipiendi proventus temporales propter ejus connexionem cum spirituali titulo: ita ut qui unum vendit, alterum, nempe spirituale non relinquat invenditum ex Can. cit. ita etiam non potest vendi jus utendi bonis temporalibus Monasterii propter ejus connexionem cum ipsa Professione Religiosa, in qua fundatur. Deinde admissio in Religionem est admissio ad omnia jura Religiosorum, inter quæ est jus vivendi ex bonis Religionis. Quare cum Alex. III. cap. *Non satis.*

Innoc. III. cap. *Dilectus* & Conc. Gener. Later. 4. cap. *Quoniam de Simon.* id graviter prohibent, in hoc juris divini naturalis observantiam præcipiunt. Si autem Monasterium sit pauper, nec possit plures sustentare, non est simonia exigere aliquid ab ingredi volentibus: quia illud exigitur non pro jure Alimentorum, nec ut pretium Religionis, sed ut habeat Monasterium unde ei possit providere, & ut alii Religiosi non careant necessariis, ad quæ jus jam acquisitum habent. Ita S. Thom. in 4. Dist. 25. q. 3. a. 2. ad 7. sed erit injustitia, & simonia, si quid amplius exigatur ultra id, quod requiritur ad hunc finem, quia jam cessat ratio allata quoad excessum. Quod tamen est intelligendum moraliter, nec consistit in indivisibili. 5. Vendere jus Patronatus. Ita Nav. Suarez, Layman, & alii multi. Quia hoc jus est spirituale, nam est potestas ad actum spiritualem, nempe præsentationem, quæ dat jus præsentato ad Beneficium habendum, ita ut necessariò institui debeat, si sit idoneus cap. 18. *de jure Patron.* at potestas ad actum spiritualem, est spiritualis.

Porro est simonia juris divini etiam post collatum spirituale, vel spiritali annexum, & nullo præcedente pacto dare, vel exigere aliquid temporale tanquam debitum, vel ut pretium, aut mercedem, vel compensationem ex cap. 39. *de Simon.* nam tunc facto

ipso temporale æquiparatur spirituali, quasi esset illius pretium: & ideo SS. Patres Giezi simoniæ arguunt, quòd pecuniam pro curatione lepræ miraculosè facta petierit. Licet tamen, seclusa Ecclesiæ prohibitione, aliquid gratis oblatum accipere, postquam res spiritualis gratis collata est; quia non datur pro re spirituali, sed ex gratitudine, & benevolentia ex cap. 30. de *Simon.*

Q. 5. Quibus casibus est simonia juris humani?

Resp. Communiter recensentur. 1. Permutatio Beneficiorum sine auctoritate Prælati, nullo interveniente pretio. Item resignatio extra curiam Romanam in favorem certæ personæ, & resignatio cum pacto, ut resignatarius suum Beneficium cedat tertio, vel cum confidentia accessûs, aut regressûs. Nam in his non commutatur spirituale, nec spirituali annexum pro temporali: unde licet commutare Beneficia cum auctoritate Episcopi, *Clement. de rer. permut.* & Papa potest in aliis dispensare. Ista sunt tamen simoniaca, quia prohibita sunt ab Ecclesia ob reverentiam rei Sacræ, & ob periculum, ne fiant ex aliquo motivo temporali.

2. Venditio Officiorum Sacristæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris Eccle-

Ecclesiæ, &c. De quibus cap. *Saluator*.
 1. q. 3. nam talis venditio prohibita est
 intuitu Religionis, non quòd ista Officia
 sint in se quid spirituale, aut Sacrum, sed
 propter quamdam cõjunctionem, quam
 habent cum supellectili Sacra, rebus, &
 Ministris Ecclesiæ.

3. Acceptio munerum etsi modicorum
 sponte, ac gratis oblatorum ex occasione
 examinis ad Parochiam, ex Trid. Sess. 24.
 cap. 18. item ex occasione collationis Or-
 dinum, Tonsuræ, litterarum dimissoria-
 rum, aut testimonialium, ex Trid. Sess. 21 c.
 1. Dixi *ex occasione*. nam dare, vel accipere
 aliquid pro collatione Ordinum, Tonsuræ,
 aut pro litteris dimissoriis, vel testimonia-
 libus est simoniacum jure divino: cum
 ista sint actus procedentes à potestate spiri-
 tuali ordinis, & jurisdictionis, proindeque
 spirituales. Subscriptio verò earundem
 litterarum, cum sit complementum illarum,
 est quid spirituale, aut saltem pertinens ad
 aliquid spirituale, nempe ad actum jurisdic-
 tionis: Deinde quando principale fieri de-
 bet gratis, gratis etiam accessorium fieri
 debet, cum ex Reg. Juris accessorium se-
 quatur naturam principalis.

Q. 6. *An permutatio rerum spiritualium
 inter se simoniaca est, ideoque
 illicita?*

Resp. Neg. Si illæ non habeant annexum

aliquod temporale commodum, & nullum interveniat pretium: quia nullo jure est vetita: non jure divino, nam nulla est per se irreverentia, si res Sacra cum alia commutetur nullo interveniente pretio, cum utraque sit ejusdem ordinis: neque jure Ecclesiastico; nam licet in jure prohibeatur generaliter omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligitur de iis, quibus annexum est aliquod temporale commodum, vel quæ fit interveniente pretio temporali. Hinc licitè duo paciscuntur mutuas preces, mutua Sacrificia, mutuam operam Sacram, v. g. me obligo ad celebrandum cras Missam pro te, ut tu alio die eam pro me celebres.

Q. 7. An simonia reus est, qui temporale pro spirituali promittit sine animo implendi?

Resp. Aff. Nam talis habet voluntatem acquirendi Beneficium per aliquid temporale promissum. Deinde non solum datio, sed etiam promissio in jure prohibetur ut simoniaca cap. 12. *de Simon.* & à Conc. Melphitano cap. 1. dignitate vel Officio privantur, *qui dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione intento, vel precibus, Ecclesiasticam dignitatem assequuntur.*

Qui verò sine animo se obligandi pro-

mit-

mittit temporale pro spirituali, committit grave peccatum saltem injustæ deceptionis, scandali, inductionis, & cooperationis ad simoniam mentalem alterius. Item qui rem spiritualem fictè promittit pro temporali, graviter peccat mendacio pernicioso, & scandaloso, & irreverentiam infert rebus sacris, ita illis abutendo.

Q. 8. *Quale peccatum est Simonia?*

Resp. I. Simonia juris divini est semper per se peccatum mortale. Ita omnes. Constat i ex 4. Reg. 5. ubi Giezi correptus fuit leprâ, quod pecuniam procuratione lepræ per miraculum facta exegisset. Et ex Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. . penitentiam age ab hac nequitia tua.* & Matth. 10. *gratis accepistis, gratis date.* 2. Quia est gravis irreverentia in rem Sacram, & consequenter in Deum ejus auctorem, dum tanquam profana, & temporalis commutatur pretio temporali; eique æquatur saltem facto, & sicut res infima, venalis, profana & temporalis tractatur, ac deprimitur. Unde simonia in jure Canonico vocatur execrabile flagitium. Nec potest esse venialis ex levitate materiæ, seu rei spiritualis, cum nulla sit, quæ non sit res gravis momenti in se, & inestimabilis pretio, utpote ordinis su-

T t 5 perio-

terioris, & ordinata ad supernaturalem Dei Possessionem: neque etiam ratione rei temporalis pro spirituali datæ, nam quo vilior est res illa temporalis, eo majus est rei spiritualis vilipendium.

Hinc infert Suarez esse mortale emere, vel vendere unam Salutationem Angelicam, vel unum *Agnus Dei*, videtur autem esse peccatum non solum contra Religionem, sed etiam contra justitiam: nam iniquum est vendere rem suo Dominio non subjectam contra voluntatem Domini, qui gratis dare jussit, & pretio commutare id, quod pretio commutari nequit, nec pretio æstimabile est. Item est contra fidem, si simoniacus putet rem spiritualem esse venalem.

Resp. II. Simonia juris Ecclesiastici est etiam mortale peccatum contra Religionem, cum sit graviter prohibita ex motivo Religionis, seu intuitu reverentiæ rebus sacris conservandæ, ut constat ex jure Canonico, & pœnis gravissimis perinde contra illam, ac contra simoniam juris divini latis. Et quia, ut ait Suarez, est ejusdem speciei cum simonia juris naturalis, ideoque ejusdem est gravitatis substantialis, seu specificæ: nam habet materiam ejusdem rationis ex jure positivo, & opponitur honestati ejusdem virtutis. Quippe species tam virtutis, quam præcepti ex obiecto & motivo sumitur: ac proinde præcepta

cepta licet quoad efficientes causas diversa; sunt ejusdem speciei, si habeant idem objectum, & motivum: & consequenter eorum transgressiones erunt ejusdem speciei. Est quoque contra justitiam defectu tituli, & materiae legitimae: unde omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem.

Porro quævis simonia est species quædam sacrilegii, cum sit indigna tractatio rei Sacrae; nam per simoniam res Sacra tanquam profana, ac temporalis tractatur, ideòque irreverenter, ac indignè.

Q. 9. An licet emere, vel vendere temporale spirituali annexum?

Resp. I. Quod est quovis modo annexum spirituali nunquam potest emi, aut vendi ratione spiritualis. Patet, nam tunc spirituale pretio aestimaretur, & venderetur. Hinc non licet pluri vendere Calicem Consecratum, quàm si non esset Consecratus, vel fundum ob jus Patronatus. Item non potest res Sacra Elocari, neque ob usum rei Sacrae, quia usus rei Sacrae non potest vendi, cum sit sacer, & quid spirituale: neque ob usum profanum, cum res Sacra non possit adhiberi ad usus profanos.

Resp. II. Temporale antecedenter annexum spirituali, seu cui spirituale postea advenit, ut fundus cui postea accedit jus Patro-

tro-

tronatûs, vas, quod postea consecratur, seclusâ Ecclesiæ prohibitione, licitè emi, ac vendi potest, ratione temporalis, materiæ, artificii, modò non vendatur cariùs ob spirituale annexum, quàm sine illo valeat: quia res illa retinet suum valorem intrinsicum, nec ita dependet à re spirituali, ut eâ venditâ hæc censeatur vendi. Sic vendi possunt Calices consecrati ad subveniendum necessitati pauperum, & fundus, cui annexum est jus Patronatûs, quod tunc concomitanter transfertur, sed non venditur, cùm pretium soli fundo respondeat.

Porro prohibetur venditio Ecclesiæ cap. 15. *de Simon.* item loci ad sepulturam, etiam ratione materiæ, cap. 8. *de sim.* & cap. 13. *de Sepult.*

Resp. III. Vendi nequeunt concomitanter annexa spirituali, & quæ sunt ei intrinsicæ, seu per se conjuncta ut opera, seu labor necessarius ad exercendam functionem sacram v. g. Missam, concionem, &c. *Est commun.* Quia 1. labor & opera, cùm sint intrinsicæ actioni spirituali, & ab ea inseparabilia, vendi non possunt, quin actio spiritualis vendatur. 2. Labor necessarius ad aliquam actionem coalescit cum ea in unum opus morale, & sic conditionem eius accipit. 3. In nullo opere labor est dignus pretio distincto ab ipso opere, sive labor operi intrinsicus nullam aliam æstimationem habet præter ipsum opus: nam
labor

labor solum appetibilis est, & quaeritur ob opus. Ergo sicut actio Sacra non est pretio aestimabilis, ita nec labor ei conjunctus. Deinde hoc ipso, quod Christus praecipit ut spiritualia gratis darentur, iussit etiam gratis dari id omne, sine quo spiritualia dari nequeunt.

Item operæ, & actiones, quæ per se necessariae sunt ad functionem sacram, prout ab hominibus exerceri potest, non possunt vendi, nec pretio aestimari, ut studium, præparatio ad concionem, &c. Quia omnes illæ actiones, & operæ non habent aestimationem, nec utilitatem nisi ratione operis spiritualis, ad quod ordinantur: & proinde si venderentur, spirituale censeretur vendi. *Ita Suarez.* Secus si labor, fatigatio, vel aliæ actiones sint spirituali extrinseca, & per accidens adjuncta, ut fatigatio longioris itineris ad celebrandam Missam in loco distito: nam hæc nil includunt spirituale, & ab eo sunt separabilia, & aliunde sunt pretio aestimabilia.

Resp. IV. Temporale consequenter annexum spirituali, hoc est, quod præsupponit rem spiritualement, & ab illa dependet, vendi non potest sine simonia: quia non potest acquiri nisi ratione spiritualis, nec vendi nisi vendatur spirituale ei præsuppositum. Præterea quod est annexum consequenter spirituali, ipsum spirituale supponit, & se habet velut ejus accessorium:

at

at accessorium naturam principalis sequitur, ex Reg. Jur. 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Ergo cum principale vendi nequeat sine simonia, ita nec accessorium. Quare simoniacum est vendere, vel emere jus percipiendi redditus Ecclesiasticos annexum Officio spirituali, aut jus vivendi de bonis Monasterii annexum professioni.

*Q. 10. An licet dare vel accipere temporale ob functionem aliquam spirituales, v. g. Missam, con-
cionem, &c.*

Resp. I. Certum est non licere dare, vel accipere temporale præcisè pro aliqua functione spirituali, vel labore ei intrinseco, nam hoc est simoniacum jure divino. Item non potest accipi pretium præcisè pro obligatione ad spiritualia præstanda: quia obligatio ad spirituale est quid spirituali annexum, & ad illud per se ordinaatur, suamque æstimationem ab illo accipit. Hinc Cantoribus Conductitiis, & Musicis non licet stipendium accipere, ut pretium sui obsequii, sed solùm titulo sustentationis honestæ: nam eorum Officium ordinaatur ad cultum divinum, nempe ad Laudes Dei canendas, & fidelium devotionem excitandam.

Resp. II. Licet temporale dare, & accipere

pere per modum sustentationis cum obligatione, ut fiat spirituale, v. g. celebrentur Missæ, administrentur Sacramenta, &c. Quia 1. ita habet praxis recepta in Ecclesia 2. Conc. Constantiense Sess. 8. damnavit hunc articulum Wicleff. *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.* 3. Tunc datur solum pecunia ad sustentationem Ministri, sub conditione spirituale præstandi, non ut ejus pretium. At sic dare, ideoque accipere licitum est, imò & justum, nam iis, qui Ministrant populo spiritualia, debetur ex justitia sustentatio, *dignus enim est operarius cibo suo.* Matth. 10. Et verò naturalis justitia exigit, ut ei, qui in alterius gratiam & commodum occupatus est, & se privat facultate vacandi rei sibi lucrosæ, sufficiens sustentatio spectato statu personæ suppeditetur, ex 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam? &c.* Nihilominus ea gratis Ministrant, quia non exigunt quidquam tanquam Ministerii pretium, hoc enim tanquam majus omni pretio gratis præstant. Sed ut hoc gratis præstent, requirunt necessariam sustentationem à populo, & licet exigunt id quod auctoritate publica, vel consuetudine approbata constitutum est in sustentationem Ministri. Unde licet accipere aliquid pro sustentatione secundum approbatam consuetudinem ad Missas pro ali-

aliquo celebrandus, ad conciones non debitas ex Officio, &c. Imò *gratis spiritualibus prius exhibitis licite possunt statuta & consuetæ oblationes & quicumque alii proventus exigi à nolentibus, & valentibus solvere, auctoritate superioris interveniente.* Ait S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3.

Non licet tamen quidquam exigere etiam à divitiibus titulo sustentationis ad sepulturas, exequias, Benedictiones nubentium, administrationem Sacramentorum, &c. Per horum spiritualium subtractionem. Nam hoc graviter prohibent Conc. Gener. Later. 3. cap. 7. & Later. 4. cap. 66. *Hoc enim haberet quandam venditionis speciem.* ait S. Thom. Sup.

Q. II. *An est simonia saltem mentalis prestare aliquid spirituale principaliter, propter temporale taxatum, vel sponte oblatum v. g. recitare Officium principaliter propter retributionem, &c.*

Resp. Aff. *Ita multi presertim Canonisti.* Quia intentio principalis obtinendi temporale per spirituale tanquam per medium, est simoniaca; nam tunc temporale moraliter loquendo se habet æquivalenter ut pretium, & expetitur loco spiritualis. Deinde ratio simoniæ in hoc præcipue consistit, quòd morali agendi modo res
Spi.

spiritualis temporali æquetur, aut postponatur: quod fit, dum spirituale propter temporale principaliter præstatur. Unde S. Antonin. 2. p. Tit. 3. cap. 5. asserit, esse mortale quærere, aut appetere Beneficia curata principaliter propter honorem, & divitias, quæ ex iis percipiuntur. Et S. Thom. quodlib. 8. q. 6. a. 1. ait: *Si hujusmodi retributiones recipit quasi finem operis sui principaliter intentus, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habeat principalem finem Deum in tali actu, ad ejusmodi autem retributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spirituales, & ita simoniam non committit, nec peccat.* Porro distributiones quotidianæ institutæ sunt, ut Clericorum negligentia in horis solemniter persolvendis earum privatione mulcetur, & hujus poenæ metu impediretur: unde se habent ut removens impedimentum, non ut motivum persolvendi Officium.

Q. 12. *An est simonia dare, vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis?*

Resp. Aff. Si ommissio moraliter censeatur procedere à potestate spirituali, & habeat effectum moralem, ex cap. 14. de Si-
 Tom. I. Uu mon.

mon. Nam tunc talis ommissio est revera quidam usus potestatis spiritualis: ideoque nullo pretio æstimabilis ac comparabilis; ut si omittas absolvere à censura vel à peccatis post auditam Confessionem, vel si paciscaris, ut non eligas talem: nam ligatum detinere, vel aliquem rejicere est exercitium potestatis spiritualis, & proinde invendibile. Si verò ommissio actûs spiritualis non censeatur in æstimatione prudenti exercitium potestatis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis æstimetur, multi docent non esse simoniam, sed turpe lucrum, aut injustitiam, si actus erat jure debitus: ut si accipias pecuniam, ut non audias Confessionem alterius, nam talis ommissio non est exercitium jurisdictionis, sed est duntaxat voluntarius non usus illius, seu potius voluntarius, & naturalis usus libertatis. Est tamen in hoc quædam turpitudine Simonie affinis, inquit Lessius; quia tacite indicatur actum spirituale esse vendibilem; quod in ejus injuriam cedit: si enim est æstimabile pretio ipsum non fieri, etiam æstimabile pretio videtur ipsum fieri.

Q. 13. Quot modis committitur Simonia in materia Beneficiali?

Resp. I. Simonia juris divini est promittere, dare vel accipere aliquid pretio æstimabile pro collatione, electione, præsentatione.

tione, confirmatione ad Beneficium, & generaliter pro quavis actione, qua jus etiam inchoatum ad illud acquiritur, vel qua dubium confirmatur; quia tunc res spiritualis commutatur cum temporali; & per temporale acquiritur spirituale: illæ enim actiones sunt spirituales ob respectum, quem habent ad spirituale, & procedunt à potestate spirituali. Hinc Simonia est pensionem super Beneficio dare, vel promittere procuranti illud, aut etiam promittere mutuum, nam licet mutuatio sit ex natura sua gratuita, tamen ex ea oritur mutuatio commodum temporale. Imò Simoniacum est aliquid exigere pro immisione, seu introductione in possessionem Beneficii, vel installatione, ex c. 9. 36. *de Simon.* Nam per hoc acquiritur jus quoddam spirituale nempe administratio, aut saltem aliquid connexum cum exercitio juris spiritualis.

Item Simonia est dare, vel promittere aliquid alteri, ut per se vel per alium obsecret, aut curet ut detur Beneficium. c. 1. *Presentium.* l. q. 5. quia munere temporali intenditur obtentio Beneficii, & paratur via ad Beneficium, eoque medio comparatur. Nec refert quòd intercessio sit tantum mediata, cum idem sit effectus, & finis, & reipsa spirituale per temporale acquiratur. Deinde obsecratio etiam mediata est causa moralis concessionis Beneficii:

ficii: ergo hanc causam emens emit virtualiter effectum ab illa manentem.

Resp. II. Simoniaca est, & nulla saltem jure Ecclesiastico non solum permutatio Beneficiorum, & cujuslibet juris Beneficia spectantis, sed etiam omnis in Beneficiis conventio, pactio, vel conditio, quæ obligat ad id, quod non est jure debitum, si fiat privata autoritate. Item resignatio sub conditione, pacto, vel onere, quod de jure non inest Beneficio, facta sine autoritate Papæ, ex c. 34. de Simon. & ex c. 5. de rerum permut. ibi; *generaliter tenens, quod commutationes prebendarum de jure fieri non possunt: præsertim pactione præmissa, qua circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet Simonia, &c. ult. de pact. pactiones factæ à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti.*

Ratio legis est, quia in pactione, & commutatione rei spiritualis, cui temporale commodum annectitur, periculum est, ne id fiat intuitu rei temporalis. Est autem Simonia juris divini spirituale temporali etsi annexo spirituali emere, & vendere, vel spirituale intendere, dare aut accipere principaliter ob temporale, etsi spirituali annexum. Resignatio verò in favorem prohibita est tum ad tollendam omnem speciem
hæ.

hæreditatis in Beneficiis, tum propter periculum, ne id fiat ex aliquo motivo temporali: tum ne per hoc adimatur Collatori libertas dandi Beneficia iis, quos magis idoneos censuerit.

Hinc 1. Simoniaca est & nulla omnis transactio, cessio Beneficii, vel juris etiam dubii circa Beneficium non gratuita, propria authoritate facta. cap. 7. *de Transact.* Item pactio ad impediendam, vel dirimendam litem super Beneficio, si ita fiat ut unus litigantium cedat jure suo pro pecunia, & alteri Beneficium pacificum relinquat: nam in ea permutatur spirituale pro temporali, compenlando spirituale per temporale; vel ut unus desistat, modò alter solvat impensas factas. cap. 4. *de Pact.* Nam hæc impensarum solutio vel habet rationem pretii pro adeptione Beneficii, cum non fuerint factæ in gratiam alterius, vel saltem suspecta est inter privatos.

Licitè tamen inter litigantes fit compositio per sententiam judicis ordinarii, vel delegati, vel etiam arbitratorum Ecclesiasticorum à Superiore deputatorum pro incunda concordia, qui, accedente partium consensu, & compromisso, adjudicent Beneficium illi, cujus jus est probabilius, eique imponant pendendam alteri pecuniam certam, non in compensationem juris, sed ob bonum temporale pacis, & ut à lite recedatur cap. 2. *de Arbit.* Potest etiam in hoc

casu ei, cui Beneficium adjudicatur, imponi persolvenda annua pensio, imposita non Beneficio, sed Beneficiato, & ad hujus vitam, cap. 21. *de Præbend.* Sed hæc compositio facta privatâ partium auctoritate, etiam sub conditione, ut approbetur à Superiore, est Simoniaca, nec potest à Superiore approbari, ex eod. cap. quia tunc præsumitur dari temporale pro spiritali ob utilitatem contrahentium. At cum ea fit à iudice compositio, non idem præsumitur, nam iudex censetur intendere duntaxat bonum pacis, & concordia. Nec obstat, quòd volentes permutare, possint pacisci de modo sub conditione, *si Superior approbet*: quia in alio casu est specialis prohibitio.

2. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus, &c. ad obtinendum Beneficium, c. *ex multis.* r. q. 3 Nam licet hæc sint pia opera, habent tamen materiam temporalem pretio æstimabilem. Deinde est onus, quod jure non inest Beneficio.

3. In permutatione committitur Simonia, non solum si Beneficia permutentur sine auctoritate Ordinarii, sed etiam si permutantes compensent auctoritate propria inæqualitatem fructuum pecuniâ vel pensione; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus, quod sit præter naturam permutationis, v. g. Omnes sumptus solvendo.

dos. Item si permutentur jura quælibet ad Beneficia, vel actiones ad illa pertinentes, ut si unus cedat suæ præsentationi, ut alter sibi conferat aliam: si ita paciscantur, tu elige, vel præsentata hunc ad hoc Beneficium, & ego eligam, vel præsentabo te, aut illum ad illud: do tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia: Te præsentabo, eligam, si mihi, vel meo nepoti Beneficium resignes, &c. Nam omnia pacta in hac materia generaliter prohibentur, eo quod hæ actiones spirituales habeantur, & fiant ut via ac medium ad temporale annexum spirituali.

Hanc doctrinam extendit Suarez ad omnia spiritualia, quæ habent temporale annexum, consequenter, etiam si propriè & in rigore non sint Beneficia, qualis est Vicaria amovibilis ad nutum: tum quia eadem est ratio malitiæ, periculi, & prohibitionis: tum quia c. 5. cit. *de rer. permut.* vetantur omnia pacta generatim circa spiritualia, & connexa spiritualibus. Idem dic de Prælatura religiosorum licet non perpetua, ex dicto cap. quia Prælaturæ illæ sunt quid spirituale annexam habens administrationem rerum temporalium. Hinc graviter peccant duo religiosi sic paciscentes: suffragare mihi, ut sim Provincialis, & tibi suffragabor, ut sis Prior, ex cap. 11. *de Simon.*

4. Simoniaca est omnis resignatio infa-

vorem alterius, vel cum reservatioe pensionis, facta sine auctoritate Papæ, ex tit. *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & ita declaravit Conc. Rothomag. an. 1581, & Bituric. an. 1584.

Sed an in Beneficiis conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu obligatione antidorali, hoc est, dandi aliquid ex gratitudine, sive temporale, sive spirituale, est vera Simonia?

Resp. Aff. tum quia omnis conventio seu pactio in hac materia prohibita est ut Simoniacæ. Tum quia hæc conventio ex se parit novam obligationem fidelitatis, & justitiæ pretio æstimabilem, obligationi gratitudinis superadditam: alioqui frustra fieret, & nunquam exigeretur: unde posita hac pacto, si non detur id, de quo conventum est, alter conqueritur tanquam de injuria sibi facta, & de fide non servata, quod seclusa conventionem non fieret. Proindeque tunc datio non est gratuita, sed onerosa & reciproca, fitque contractus *do, ut des, vel do, ut facias*. Suarez Laym. & alii communiter.

Not. 1. Præbendæ Canonissarum sunt materia Simoniacæ, ut resolvit S. Congregatio Cardin. an. 1691. Nam videntur esse vera Beneficia, licet non Clericalia; sunt enim jus perpetuum, auctoritate Ecclesiæ constitutum, seu approbatum, percipiendi fru-

fructus ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis propter officium spirituale.

Not. 2. Ex *extrav. ambitiosa* non licet locare fructus Beneficii, vel Monasterii ultra triennium. Sed juxta multos hæc restrictio non est in plerisque locis recepta: proinde dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porro id non fuit prohibitum ob periculum Simonix, sed ne per hujusmodi locationem, seu alienationem noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Q. 14. An est Simonia dare vel procurare Beneficium ratione consanguinitatis?

Resp. Cum S. Thom. 22. q. 100. a. 5. ad 2. *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem, vel quamcunque carnalem affectionem, est quidem illicita, & carnalis collatio, non tamen Simoniacæ, quia nihil ibi accipitur. Unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, & venditionis, in quo fundatur Simonia.* At Simonia est si conferas, vel procures Beneficium consanguineo, aut affini, ut inde honoratior vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si Beneficium procures extraneo, ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi, ita S. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ad 7. ubi ait: *qui dat ratione*

Uti s

con-

consanguinitatis præbendam, si intendit aliquod bonum in seipsum redundans sic, quod magnificetur per hoc, & nobiliteretur domus sua; vel quod ipse in consanguineis fit fortior, & sic ipse aliquid accipere sperat, pro quo spiritualia dat, Simoniam committit.

Q. 15. An est Simonia conferre, vel præsentare ad Beneficium ob commendationem amici?

Resp. Aff. Si favor humanus in eo principaliter intendatur: nam talis favor pretio æstimabilis est. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. à 5. ad 3. ibi: *Munus à lingua dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit; vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis ad hoc principaliter intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum; quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum.*

Q. 16.

Q. 16. *An licet emere, vel redimere pensionem?*

Resp. Ex communi, Simonia est emere, vel vendere pensionem assignatam pro aliquo Officio spirituali, v. g. pro Adjutore Episcopi, Concionatore; quia hæc fundatur in Ministerio spirituali, nec nisi ratione illius potest quis jus ad illam habere. Unde non potest vendi, quin vendatur ministerium spirituale, in quo fundatur. Neque licet eam redimere, quia non potest extinguere obligatio ad tale ministerium spirituale, cum hoc debeat remanere. Item simonia est juris divini emere, vel vendere alias pensiones, quæ soli Clerico conceduntur sive in sustentationem, sive ad litem componendam, aut fructuum inæqualitatem compensandam in Beneficiis: quia sunt annexæ titulo, & Officio spirituali, scilicet recitandi Officium B. V. imposito à Pio V. ita ut qui illud omittit, redditus amittat. Et sic non solum requirunt statum clericalem, sed etiam hoc officium spirituale, ratione cujus acquiritur jus ad illos redditus. Quare jam pensiones illæ sunt quidpiam spirituale constans ex illa obligatione spirituali, & jure ad temporalia ei annexa: sive nil aliud sunt quam jus percipiendi fructus Ecclesiasticos medio officio spirituali. Cum autem hoc officium sit in-

invendibile, ita & jus percipiendi fructus illos ab illo est inseparabile. Neque hæ pensiones redimi possunt, nisi tollatur spirituale, quod tolli non potest nisi à Papa, à quo constitutum est, *Ita Suarez, Reginald. & alii.* Secus de Laicali pensione, quia talis pensio est quid merè temporale; cum non fundetur in titulo spiritali, nec ni annexa sit functio spiritalis, nec ad eam ordinetur, sitque separata à titulo spiritali.

Q. 17. *An Redemptio vexationis licita est in Beneficiis?*

Resp. I. Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam ad obtinendum Beneficium, v. g. dare pecuniam alteri, ne defectum tuum Collatori detegat, ne pro alio obsecret, ne habens jus utcumque probabile litem moveat, vel motam prosequatur, ne doctior ad concursum cum aliis conveniat, ut competitor à præensione justa desistat, &c. *Ita omnes teste Suarez,* quia via ad Beneficium per pecuniam pararetur, & mediâ re temporali acquireretur spirituale. Et licet redimens non det pretium immediatè pro re spiritali; tamen mediatè vult acquirere jus spirituale mediante pecunia, quod est emere illud. Et quamvis jam haberes jus aliquod ad illud, tamen cum vexatio est

est iusta, eo ipso jus non est omnino firmum, & sic pretio emeretur firmitas juris spiritualis, quod est saltem ex parte emere jus spirituale. Imò ex communi quando jus in re nondum est acquisitum, aut necdum plenum, non licet redimere vexationem injustam ab iis, qui ad Beneficium iuvare possunt, cap. 23. *de Simon.* quia per pecuniam acquireretur res spiritualis, aut saltem jus in re firmum, quod antea non habebatur; quod est emere spirituale. Ut si elector velit eligere indignum ut te impediatur, esset simonia dare ei pecuniam, ne sic te impediatur.

Licet tamen vexationem iniquam redimere ab iis, qui solum impedire possunt, non verò iuvare: quia hac redemptione solum remouentur impedimenta injustè apposita: nec proinde via ad Beneficium paratur magis, quàm parata esset ante injustam impedimentorum positionem. Hinc licet Clerico pecuniâ impedire calumnias, quibus alioqui impeteretur apud collatorem.

Resp. II. Habenti jus in re acquisitum in Beneficio plenum ac certum licet pretio, non tamen re spirituali, vexationem injustam redimere, & impedimenta injusta removere, ex cap. 28. *de Simon.* quia tunc non datur pretium pro re spirituali, cum hæc habeatur jam acquisita: sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid tem-
po.

porale, & nil acquiritur de novo. Quare vexans, qui pretium recipit pro cessatione ab injuria, non est simoniacus, cum nil recipiat pro re spirituali; sed est solum injustus, & tenetur ad restitutionem, cum sine justo titulo accepta possideat: nam aliter sponte, ac liberaliter non dat, sed per injuriam coactus.

An verò jam confirmato vel instituto liceat pretio redimere vexationem, qua injustè impeditur à possessione capiendâ? contròvertitur. Alii negant, quia possessio est aliquid spirituale, vel spirituali annexum, cum per illam obtineatur exercitium functionum seu actuum spiritualium. Alii asserunt id licere, quia possessio præcisè sumpta, supposito titulo, est factum quoddam corporale, quod non dat, sed supponit jus spirituale completum: ergo acquisito titulo, ac jure pretium non datur pro aliquo spirituali, sed solum ad tollendum injustum impedimentum possessionis, quæ illi titulo per se immediate debita est.

Resp. III. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum, & possessum Beneficium. *Ita omnes teste Suarez.* nam eo ipso, quòd justa est vexatio, sequitur, quod jus in Beneficio non sit omnino firmum, vel auferri possit. Unde tunc datur pretium ad confirmationem, & conservationem Beneficii. Vel si sit omnino firmum, necesse est, ut aliquod crimen sit patra-

tra-

tratum, propter quod ille esset Beneficio privandus; & tunc dare pretium ad removendum illud impedimentum esset simonia, quia pretio temporali emeretur conservatio rei spiritualis.

Resp. IV. Semper est simoniacum dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum Beneficium; item dare Beneficium cum pacto, ne is, cui datur, in posterum vexet, vel noceat etiam injuste: quia tunc spirituale datur pro temporali commodo, seu in compensationem mali temporalis vitandi, quæ est quid de se pretio æstimabile.

Q. 18. An est simonia saltem mentalis suscipere Ordines, ut Beneficium obtineatur saltem principaliter ob ejus redditus?

Resp. Aff. Quia 1. is re spirituali viam sibi parat ad bonum temporale principaliter intentum; & ipsum spirituale ut medium ad obtinendum temporale principaliter refert: atque ita suo agendi modo temporale spirituali æquiparat, aut etiam præfert. 2. Ex Synodo Excestriensi Anno 1287. can. 8. *Ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad Ordines aspirent, an ut Deo & Ecclesie virtuosius & gratiosius famulentur, non pro temporali questu, nec Beneficiis à suis ordinatorebus extor-*
quen.

quendis, quoniam tales simoniacos reputamus. Unde Fagnan. in cap. ad nostram de Elect. ait: Clericum, qui Ordines suscipit, ut Beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quæ non obligat ad Beneficii dimissionem, sed tantum modo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit.

Q. 19. An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. g. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum? &c.

Resp. I. Licet dare aliquid temporale absolutè alteri, petendo ab illo, ut aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, modo nulla imponatur obligatio illud faciendi: quia tunc est solum donatio liberalis, facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua & pacto oneroso. Item licet aliquid promittere sub conditione, si feceris hoc opus bonum, intendendo spirituale bonum operantis, & se obligando ad standum promissis, impletà conditione, & non aliter, modo nulli alteri oriatur obligatio, ex cap. 2. de condit. ubi approbatur concessio libertatis facta seruo eà conditione, ut Monachus fieret, & non aliter. Nam ibi nulla est Simonia, sed est precisè quædam optio, quæ alteri gra.

gratuitò offertur in suum solùm bonum, ut hoc vel illud eligat pro suo arbitrio.

Resp. II. Simonia est dare, vel promittere temporale sub pacto, & conditione, ut alter obligatus sit ad faciendum opus salutare in suam utilitatem, ex cap. *Quam pio* 1. q. 2. quia ibi intervenit pactum onerosum circa spirituale cum pretio, quod in jure prohibetur ut simoniacum, & tunc datur, & accipitur pretium pro spirituali. *Ita Suarez.*

Q. 20. *An accepta per simoniam restitui debent?*

Resp. I. Beneficia, Dignitates, Officia & alia ejusmodi simoniacè accepta non possunt in conscientia retineri, sed dimitti debent cum omnibus fructibus, ante omnem sententiam. Constat tum ex consensu Doctorum, & sensu, ac usu Ecclesiæ, tum ex cap. *Siquis dator.* & cap. *ea qua.* 1. q. 3. tum quia sine justo titulo possidentur, cum omnis collatio, provisio, & pactio simoniaca irrita sit, & nulla, saltem jure Ecclesiastico. cap. ult. *de Pact.* & proinde careat omni effectu, nullumque ius tribuat; ut declaravit Martin. V. in Conc. Constantiensi Sess. 43. approbante. *Electio- nes, postulationes, confirmationes, & quavis provisiones simoniaca Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Officiorum &*

Tom, 1.

Xx

Be-

Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcun-
 que deinceps facta, nulla sint ipso jure,
 nullumque jus cuiquam acquiratur, nec
 promoti, confirmati, aut provisi faciant
 fructus suos, sed ad illorum restitutionem,
 tanquam iniique ablata percipientes, tene-
 antur. Idem declarat Paulus II. in extrav.
Cum detestabile. de Simon. condemat à
 Pio V. & S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ait:
 Nullus potest licite retinere id, quod contra
 voluntatem Domini acquisivit, putà si ali-
 quis dispensator de rebus Domini sui daret
 alicui contro voluntatem, & ordinationem
 Domini sui, ille qui acciperet, licite retine-
 re non posset; Dominus autem, cujus Ec-
 clesiarum Pralati sunt dispensatores, &
 Ministri, ordinavit ut spiritualia gratis
 darentur, secundum illud Matth. 10 gra-
 tis accepistis, gratis date. Et ideo, qui
 muneri interventu spiritualia quacumque
 assequitur, ea licite retinere non potest.
 Unde quamvis hæc irritatio esset tantum
 de jure Ecclesiastico, ut multi docent, ta-
 men illa supposita obligatio relinquendi Be-
 neficium, cum omnibus suis fructibus, est
 de jure divino naturali, ut rectè, Notat
 Suarez, & patet, nam jure naturali non
 licet retineri alienum sine ullo jure ad il-
 lud.

Ad hanc autem nullitatem, & restitu-
 tionis obligationem, sufficit Simonia con-
 ventionalis tantum, & occulta, cum sit ve-
 ra

ra Simonia; & ex juribus citatis ad nullitatem sufficit, quod provisiones sint simoniacæ; & in cap. *ea quæ* 1. q. 3. Urban. 2. ait: *Quidquid vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.* Item sufficit Simonia ignorata à possidente Beneficium, ex cap. 26. *de Simon.* quod si acceptum sit Beneficium nondum dato pretio, hoc non debet solvi: quia simonia fieret realis completa ex utraque parte, & sic contraheretur excommunicatio; nec Beneficium acceptum retineri potest, cum ejus provisio, & collatio nulla sit. Fructus verò percepti restitui debent Ecclesiæ, cum sine ullo jure, sed injustè percepti fuerint, ex Conc. Constant. cit.

Resp. II. Pretium, seu quodvis temporale simoniacè acceptum, restitui debet, etiam jure divino naturali. Quia 1. contra jus dantis, & proinde injustè acceptum est. Nam qui dedit pretium, habet jus, ut res spiritualis gratis conferatur sibi, saltem ex hypothesi, quod detur. Deus enim dedit omnibus jus res spirituales obtinendi gratis, juxta illud Mat. 10. *Gratis accipistis, gratis datè.* & solum imposuit onus alendi Ministros, juxta modum ab Ecclesia præscribendum. Qui autem dedit temporale, non intendit dare liberaliter, nec transferre

Dominium, nisi quatenus debet, & quatenus alter justè exigere potest, ut patet à simili de usura. Deinde spiritualis res non est materia venditionis, sed est ex natura sua invendibilis. Jus autem temporale in re spirituali fundatum vendi nequit, nisi res ipsa spiritualis etiam vendatur, quæ tamen invendibilis est. 2. Ecclesiæ Ministri sunt tantum dispensatores, non Domini rerum spiritualium: unde non possunt illas dispensare, nisi pro voluntate Christi jubentis, ut illæ gratis concedantur: alias non minùs injustè agunt, quàm Eleemosynarius Principis, qui pro Eleemosynâ gratis ex voluntate Domini dandâ, aliquid à pauperibus exigeret. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos. *Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Et verò injustè exigit, & accipit pretium, qui de suo nil dat pretio æstimabile, ut facit conferens Beneficium non gratis: nam fructus ad ipsum non pertinent, sed ad futurum Beneficii possessorem: jus verò ad fructus, utpote fundatum in titulo spirituali, non est æstimabile pretio temporali, & necessario competit ex justitia ei, qui habet Beneficium; imò est ipsemet Beneficium. Ergo col.

collator, vel Patronus injustè exigit pretium, nec habet titulum justum accipiendi, ac retinendi quidquam, quod omnino sponte ac liberaliter datum non sit.

Resp. III. Si Simonia sit realis in materia Beneficiali, simoniacè accepta debent restitui Ecclesiæ, in qua est Beneficium, vel pauperibus loci, etiam ante omnem sententiam, ex cap. XI. *de Simon.* ubi dicitur, temporalia recepta pro dando assensu electioni Ecclesiasticæ restituenda esse illi Ecclesiæ, cùm ea sine gravi salutis periculo retineri non possint. Et est communis sententia. Sed si Simonia non sit in Beneficiali materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit: quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet. Sed qui dedit simoniacè, retinet Dominium rei datæ; cùm pactio Simoniaca sit nulla, nec proinde jus ullum transferat, & lex non prohibet reddi, quod simoniacè datum est, nisi Simonia fuerit realis in Beneficio: nam in cap. citato, ubi pecunia accepta dicitur restituenda esse non danti, sed Ecclesiæ, agitur solùm de Simonia reali in Beneficio, nec idem ullibi statuitur in aliis casibus: unde hæc pœna, cùm sit quid odiosum, non debet extendi ultra casus in lege expressos. Imò cap. 19. *de Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, ui Religionem simoniacè fuerat ingressus.

Sed an Simonia mentalis ad restitutionem obligat, sicut id constat de reali, & conventionali mixta?

Resp. Multi negant, & probant. 1. Ex cap. 46. de Simon. ubi Greg. IX. ait ad resignationes spiritualium, & temporalium, qua nullo pacto, sed affectu animi procedente, utrumque taliter acquiruntur, (in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori) eos pro Simonia hujusmodi non teneri. 2. ex S. Thom. 22 q. 100. a. 6. ad 6. quoad Deum sola voluntas facit Simoniacum, sed quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut Simoniacus, ut abrenuntiare teneatur, sed debet de mala intentione pœnitere. 3. Quia sola injustitia externa, seu effectiva inducit, obligationem restituendi: at in simonia mentali nulla est injustitia externa, sed solum affectiva. 4. Dicunt talem esse usum Rotæ, & Pœnitentiariæ; & addunt Ecclesiam non irritare collationem Beneficii, nisi Simonia sit externa saltem implicite: nam Ecclesia non punit actus merè internos.

Q. 21. Quanam sunt pœna contra Simoniacos ipso facto lata?

Not. 1. Nulla pœna ipso jure lata est contra Simoniam, nisi ea commissa sit, vel in Ordinatione, vel in Religionis ingressu,
aut

aut professione, aut in Beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam Officia quælibet jurisdictionem spiritualement habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus, &c. Extrav. *cum detestabile* de Simon. quia in his tribus ob honores, dignitates, vel commoda temporalia frequentius committitur, aut saltem majus est periculum illius.

Not. 2. Licet quælibet Simonia etiam mentalis sit grave crimen, tamen consentiunt Doctores nullam pœnam juris contrahi ob Simoniam mentalem, quæ absque externo pacto expresso, vel tacito admittitur, ex cap. 46. *de Simon.* cit. ubi dicitur de simoniacis mentalibus *sufficere per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori.* Neque etiam ob Simoniam purè conventionalem, excepta confidentiali: quia jura has pœnas statuenda realem rei spiritualis receptionem requirunt, ut constat ex extrav. 1. & 2. *de Simon.* & ex Canonibus 1. q. 1. & ideo consentiunt etiam nullam pœnam contrahi ob Simoniam mixtam, seu semirealem, quando non fuit tradita res spiritualis, sed solum pretium, seu res temporalis: nam donec res spiritualis acquiratur, & sic quasi contractetur, non censetur plenè consummata exterius Simonia.

An verò contrahantur pœnæ Canonice, si traditum sit Beneficium, vel alia res

spiritualis, licet pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, controvertitur. Alii asserunt, quia licet pretium non sit traditum, Simonia tamen videtur completa exterius: sicuti contractus venditionis censeatur completus, si res sit tradita, & pretium promissum, etsi nondum solutum. Alii communius docent solam simoniam realem utrimque completam traditione rei spiritualis simul, & pretii, aut partis pretii inducere pœnas juris: tum quia juxta multos hæc est praxis. Curia Romanæ: tum quia pœnæ juris, præsertim graves, impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu perfectè completo, & ex omni parte consummato exterius cum effectu, nisi lex aliud disertè exprimat: nam ex Reg. Jur. *Odia sunt restringenda.*

Dixi aut partis pretii, nam si re spirituali tradita promissi pretii pars aliqua fuerit soluta, tunc secundum omnes contrahuntur pœnæ: quia tum verè spirituale traditum est pro temporali, & vice versâ; nec minùs completa est simonia, quàm si ab initio conventum esset de sola illa minima quantitate, quæ soluta esset.

Resp. I. Pœnæ Simoniæ in Beneficiis, & Officiis spiritualibus sunt. I. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt, tum qui simoniacè eligunt, præsentant, instituunt; tum qui sic eliguntur, præsentantur, instituuntur; item mediatores

tores & procuratores simoniacæ ordina-
tionis, aut collationis Beneficii secutæ, ut
parentes, amici, & omnes, qui suam operam
interponunt, vel pecuniam offerunt, extrav.
Cum detestabile, & alibi. 2. Omnis simo-
niaca electio, præsentatio, resignatio pro-
visio, collatio irrita est, nullumque jus tri-
buit; ita ut sic provisos teneatur ante om-
nem sententiam Beneficium dimittere, &
omnes fructus Ecclesiæ restituere, cum nul-
lum jus in Beneficium acquirat. *ibid.* &
ex Conc. Constantiensi, sup. cit. Idque, ut
dixi, quamvis Simonia sit solum conven-
tionalis mixta; item etiamsi Simonia ipso
provisto in seio commissa sit, nisi quis ut eum
inhabilem redderet, pecuniam dederit, vel
ipse de Simonia suspicans, expressè contra-
dixerit, cap. 27. & 33. *de Simon.* Imò si
sciens tertii Simoniam in procurando tibi
Beneficio, illud acceptasti, nulla est tua pro-
visio, quamvis contradixeris: quia accep-
tando cooperatus es executioni Simoniam
cognitæ ita *Suarez*,; item si pecuniam ab
alio promissam solveris, vel solutam reddi-
deris, ex eod. cap. 33.

Porro juxta varios ignorantiam Simoniam
non faver regula Cancellariæ de Trienna-
li possessione ad præscriptionem; quia ex-
pressè exigit ut possessio sit *absque Simonia-*
co ingressu. Sed multi alii docent eum,
qui mediante tertii Simoniam Beneficium
accepit, posse illud retinere, si integro tri-

ennio hanc simoniam ignorarit: quia illa verba *absque Simoniaco ingressu*, videntur in rigore requirere, ut simonia se teneat ex parte ingredientis Beneficium; nam licet collatio sit simoniaca, ingressus tamen, seu actio, qua provivus ingreditur, non est simoniaca; nec ipsa punitur, sed actio mediatoris, quæ fuit simoniaca, neque hæc appellatur strictè in gressus, sed potius a portæ, ut alter ingredi queat. *Ita Cabas. sut. Lessius, Layman, de Lugo dicens, hanc esse communem sententiam, & pro ea referens Gomez. Rebuff. & alios.* Verùm consuli debet usus curiæ Romanæ. Constat autem eum, qui Beneficium per simoniam parentum, vel amicorum, licet ignorans, obtinuit, si hanc ante elapsum triennium rescierit, teneri statim illud purè resignare, & omnes fructus perceptos extantes restituere, non tamen eos, quos bona fide consumpsit, cùm eos bona fide possederit. *Ita S. Thom. q. 100. a. 6. ad 3. Suarez, & alii commun.* Nam irritatio directè fertur à jure in omnem provisionem, & acquisitionem, quæ fit per simoniacam labem, nec ad hanc requiritur culpa, vel scientia acquirentis, aut conferentis, ex cap. 33. *de Simonib.* 3. Simoniacè electus, vel provivus fit ipso facto inhabilis ad idem Beneficium, nec potest illud ex Episcopi dispensatione obtinere cap. 27. *de Simon.* & cap. penul. *de Elect.* ubi excipitur, si sit Beneficiarius

cium simplex, & ipso electo ignorante, nec ratum habente simonia commissa sit; tunc enim post puram resignationem potest Episcopus dispensare. Imò ex Bulla V. S. Pii V. simoniacus sit etiam inhabilis ad quas-cunque alias dignitates, & quæcunque alia Beneficia obtinenda.

Not. Has pœnas, ex communi, incur-runt etiam, qui propria auctoritate permu-tant Beneficia: nam si in jure dicuntur si-moniaci, & verè committunt simoniam ju-ris Ecclesiastici. Item simonia realis in Prælaturis regularium, ut sunt Prioris, Guardiani, Rectoris, Provincialis, &c. In-ducit nullitatem actûs, obligationem di-mittendi Superioris munus, & Excommu-nicationem Papæ reservatam; nam sunt Officia Ecclesiasticam jurisdictionem ha-bentia, idque statuitur expressè à Paulo II. extrav. *Cum detestabile* de Simon. & constat etiam ex Bulla Martini. V. sup. cit.

Resp. II. Pœnæ Simonix confidentiæ ex Bulla 85. Pii IV. & Bulla etiam 85. Pii V. Sunt 1. Excommunicatio Papæ refer-vata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam hi incur-runt solum interdictum ab ingressu Eccle-siæ. 2. Privatio Beneficii per Confidenti-am obtenti, & quidem ante omnem sen-tentiam, cum ejus collatio nulla sit. 3. In-habilitas ad idem Beneficium, & ad alia
acqui-

acquirenda. 4. Privatio Beneficiorum, antea legitimè possessorum, & Pensionum prius obtentorum; non tamen, juxta multos, ante sententiam judicis declaratoriam, cum justo titulo possideantur; & dicunt ita usu receptum esse. 5. Beneficia per Confidentiam collata & accepta, reservata sunt Papæ: quare resignari non possunt in manus Ordinariorum, nec ab iis conferri. Insuper fructus Beneficiorum per Confidentiam acquisite, & Pensionum sic constitutarum reservantur Cameræ Apostolicæ. Sed hæc reservatio in Gallia non observatur.

Not. 1. Ut contrahantur hæc pœnæ, requiritur, ut datum sit, & acceptum Beneficium, ut patet ex his verbis Bullæ Pii IV. *Omnes, & singulos, qui Beneficia, vel Pensiones hoc intercedente vitio receperunt.* non tamen necesse est, ut qui Beneficium accepit, promissionem suam impleverit, hoc est vel pretium promissum solverit, vel Beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus Beneficii ab alio percipi permiserit. Nam hoc specialiter statutum est contra hanc Simoniam, quæ gravioribus pœnis punitur, eo quod innumeris fraudibus sit obnoxia, & magis latenter quam quævis alia committatur, habeatque speciem successionis hæreditariæ in jure valde exosam. Imò has pœnas incurrit Beneficium recipiens, qui novit in-

ten-

entionem confidentiariam dimittentis, quamvis recipiat sine tali intentione, ut significant hæc verba Bullæ Pii V. *etiam solâ dimittentis intentione receperit.*

Not. 2. Cùm Constitutiones Pii IV. & Pii V. novas pœnas non superadant ratione confidentiæ, nisi contra illum solum, qui per confidentiam recipit Beneficium, vel Pensionem; soli recipientes privantur Beneficiis, & pensionibus antea legitimè acquisitis: non autem resignantes sub pactione confidentiali, aut ad id cooperantes; qui tamen, ut verè simoniaci, incurrunt Excommunicationem Papalem jure antiquo latam, si confidentiaria pactio fuerit ex utraque parte completa.

Resp. III. Pœnæ Simoniacæ in Ordinatione sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrit tum ordinans, tum ordinatus extrav. *Cum detestabile.* quod multi extendunt ad primam Tonsuram, quia cap. 11. *de Ætat. Presic.* dicitur per eam conferri Ordo Clericalis, & usitato loquendi modo aliquis per eam simpliciter constituitur in Ordine Clericorum. 2. Ordinatus suspensus est ab ordinibus, non solum, quos simoniacè suscepit, sed etiam omnibus simpliciter. *ibid.* Ordinans verò suspensus est per triennium à collatione omnium Ordinum, ex cap. 45. *de Simon.* Per Bullam verò Sixti V. *Santum* suspensus est à collatione omnium
Or.

Ordinum, etiam Tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, & interdictus est ab ingressu Ecclesiæ. Sed dicunt hanc Bullam non esse usu receptam in plerisque locis, præsertim in Galliis. Qui autem nec sciens, nec volens simoniacè Ordinatus est, secundum Sanctum Thomam. q. 100. a. 6. ad 3. & alios, non potest sine dispensatione Ordines exercere.

Resp. IV. Pœnæ Simoniacæ commissæ circa ingressum Religionis, & Professionem sunt 1. Excommunicatio lata contra personas singulares dantes, & accipientes. 2. Suspendio ab Officiis Capitularibus lata in Conventum, si consenserit. Utraque pœna ipso facto contrahitur, & Papæ reservatur, extrav. *Sanc. de Simon.* 13. Simoniacè scienter Professus in aliud arctus Monasterium in pœnam criminis detrudi debet. cap. 25.

de Simon.



TRA.